In memoriam J. B. Trapp, 1925 - 2005

Free copy for study purposes only - The Warburg Institute Digital Collections

ENC
80

$\int 1-4$ midpoint between A and B

Free copy for study purposes only - The Warburg Institute Digital Collections


IAC. PHILIPPI
TOMASINI
PETRARCHA
REDIVIVUS,
LAVRA
COMITE.

Free copy for study purposes only - The Warburg Institute Digital Collections

58/2371 I
ENC 80

IACOBI PHILIPPI
TOMASINI PATAVINI
D. Mariæ in Vantio Canonici Secularis

PETRARCHA REDIVIVVS,

Integram Poetæ celeberrimi Vitam
Iconibus ære celatis exhibens.

ACCESSIT NOBILISSIMAE FOEMINAE

LAVRÆ

Breuis Hiſtoria.

AD EMINENTISS. ET REVERENDISS.

D. IOAN. FRANCISCVM

Ex Comitibus Guidijs à Balneo
S.R.E. Cardinalem, &c.

Superiorum Permiſſu.
PATAVII, Typis Liuij Paſquati, & Iacobi Bortoli.
Apud Paulum Frambottum. M DC XXXV.

IACOBI PHILIPPI

TOMASINI PATAVINI

PHILOSOPHI Primo Comitis Lateranis

PETRARCHA

REDIVIVUS

Free copy for study purposes only - The Warburg Institute Digital Collections

Eminentiſs. ac Reuerendiſs.

D. D. IOAN. FRANCISCO

EX COMITIBVS GVIDIIS A BALNEO &c.

S. R. E. Cardinali, Epiſcopo Reatino.

Domino & Mecœnati Benigniſsmo.

VPHEMIAM Muſarum nutricem ſcitè nec ſine ratione finxit erudita antiquitas. Generoſos quippè animos ad pręclaras actiones ſtudiosè incitat, vt verè Poeta:

Tu ſola animos mentemq́; peruris
Gloria.

Ea verò non deſidia, ſed multis magniſque laboribus acquiritur. Virtus enim, apud Romani Eloquij Parentem, Actuoſa ad vtilitatē humani generis, non ad tenebras aut ſolitudinem eſt comparata. Atq; hęc Orphei quidem Poetarum vetuſtiſſimi iudicio fœcunda Heroum Mater, mortales ad ſummum felicitatis eduxit & educauit, Famęque æternitati tradidit. Exempla ne longius conquiram, luculentiſſimo nobis indicio eſt Toga Sagoque illuſtris Domus tuæ proſapia,

Vir-

Virtute ſua vndiquaque conſpicua. Cuius Amplitudinem vt in pauca contraham, vel vnus ſufficiet Guido II. quem Rauennates *Patris Patriæ* titulo honeſtarunt, id pręterea nactus glorię, quòd filium reliquerit, quem Florentiæ OTHO Imperator Maximus familiæ ſanguiniſq; coniunctione dignabatur. Quæ ſingula tametſi interrupto curſu ad humanæ felicitatis apicem contenderunt, Numiniſq. prouidentia in Te conſpirarunt eo certè cumulo, vt ad arbitrium fortunam fingere licuiſſet: laudabili tamen Maiorum inſtituto nobilis animi curas in publica commoda vertere maluiſti, ea Ingenij dexteritate, ea morum Integritate, animique Prudentia, vt Magnanimitatem præclara Humanitate contemperatam in TE ſuſpiciant ac venerentur, quotquot cum Muſis Virtutem verè æſtimant. Neque enim ſolùm conſtantem bonorum de tuis meritis opinionem ęquas, ſed longè antecedis, dum bonas literas humaniter & perbenignè foues, ornas, tueris. Patere igitur, Eminentiſſime Princeps, celeberrimus Poeta Etruſcus caſtis Spectatiſſimę Fęminę amoribus ad Famæ immortalitatem euectus, noſtriſque literis, qua fas erat ſermonis libertate ac veritate, poſt varias temporum iniurias poſteritati pro virili aſſertus, idem intra tua limina obtineat contubernium, quod olim Viuus apud Agnatos tuos Columnenſes Purpuratos expertus fuit mitiſſimum. Sic enim quos ipſorum auſpicijs meruit aliquando perennis Gloriæ triumphos, non in Vrbe tantum Orbis domina, ſed in Orbe, recenti nominis æternitate ducet ſecurior tuo præſidio, quo Mecœnas vnicus Literarum ſplendorem bonæ famæ tutela egregiè ſuſtentas. Suaderid multis probatus olim

ſum-

ummus in Poetam affectus, cùm Auenionenſis Legati munus pro Svm. Pontifice ad publica vota feliciter obires. Quem in iſto pectore quoniam adhuc integerrimũ ſcio, nec in meos conatus inferiorem, hanc vtiq; Vatis noſtri ſpeciem, deuinctiſſimæ ſimul meę in T.E. volũtatis ſpecimen perpetuæq. obſeruantiæ argumentum eſſe deſidero. Laborem porrò qualemcumque meum ſi qua mentis deuotione offertur, eadẽ animi facilitate acceperis, erit quidẽ vnde Poetę noſtrum gratuletur ſęculum; Ego verò me ad maiora excitatum cenſeam. Devs Opt. Max. dignitatem tuam ad citeriora incrementa, & publicum rei literarię decus diutiſſimè ſeruet & augeat.

Patavii, è Muſeo. Cal. Iunij. M DC XXXV.

E. T. R.

Omni cultu

Deuotiſſimus Cliens

Iac. Philippvs
Tomasinvs.

Free copy for study purposes only - The Warburg Institute Digital Collections

LECTORI
BENEVOLO.



OMNIBVS *placere cum ſemper arduum fuerit, tum hoc potiſsimum ſæculo, quo vel ob ingeniorum ſagacitatem, vel ob cenſuræ licentiam,*

Et pueri naſum Rhinocerotis habent:

ne meum etiam inſtitutum præter votum à multis ſiniſtrè accipiatur, breuiter monendus de ijs Lector, quæ iudicij favorem impetraturа videntur. Ea nempè unica potiſsimum me permouit cauſa, vt huncqualemcumque laborem fidentiùs adirem, ad quem invitauit me probata hactenus plurimorum benignitas, qua ingenij mei tentamenta antehac fuerunt excepta, iamq; inchoatũ opus crebris aliorũ exhortationibus monitisq; in hanc faciem redactum. Nec profectò aliud poſtulabat PETRARCHÆ *eximia Virtus, quã ſingulari prodidit indole, sũmoq; decorauit ingenio. Cuius Vitam ſi verum boni Viri ſpeculũ dixerim, nihil fortaſsis arrogantius dixerim. Sed neque aliter mecum ſtatuet ſpero, qui ſummam eius conſtantiam in arduo Virtutis & Muſarum ſtadio intentè fuerit contemplatus, qui ad vtriuſque fortunæ impetus inſignem animi moderationem penitiùs expenderit, qui veram mentis pietatem intimiùs perſpexerit, cæteraſque Summi Viri dotes; quas poſt exquiſitam multorum diligentiam rudi penicillo mihi exprimere placuit, ne fuco ſincerum illud pectus cõtaminarem, neue adſcita ſermonis pompa*

nar-

narrationis veritatem in fictionis ſuſpicionem ducerem. Ea verò vt ſimpliciſsima, ſic aliena eſſe debuit ab Elogij ſpecie, quod iam ab omni ætate debebatur ei, quem nemo non hactenus miris laudibus extulit. Ideoque eam non ſolum per Species, ſed minutiſsimè per Tẽpora quoq; deduxi, Poetæ ipſius, quãtum licuit, verbis munitam: quæ tametsi bona fide paſſim inſerta, nonnullis tamen temporũ vetuſtate corruptis ex ingenio medelam adhibui. Cetera, præter ea quæ iam noti omnibus Poetæ Interpretes dederunt, à Viris Eruditis & Amicis vndique conquiſita, ſuo cuique loco ingenua profeſſione reddẽda cenſui. Eorum ſanè prolixa adeo in me fuit humanitas, vt exinde operis moles præter ſententiam creuerit: Cuius faſtidium varietate, ad Legentis ingenium & argumenti genium neceſſaria, temperatum arbitror. Quin ipſorum, eam expertum me fateor ſolicitudinem, ut operi iam confecto Auctarium acceſſerit. Cuius tenuitatem etſi facilè agnoſcã, hoc interea ſpecimẽ Amicorum expectationi diutius protrahere nolui, quorum (ſi merebitur) ſymbolis auctior aliquando & cultior mitiorem forſan eruditorum calculum ſperare poterit. Quanquam nec Ego hæc ad famam, ſed aliorum potius obſequium, quibus inter publicas occupationes qualicunque ſtudio animum ac voluntatẽ privatim præbere debui. Tuum erit, Benigne Lector, hæc quo emittuntur candore interpretari, ut honeſtis conatibus in poſterum vires addas.

✠✠ LAV-

LAVRENTIVS PIGNORIVS
IACOBO PHILIPPO TOMASINO
Canonico S. Mariæ in Vantio, & Cœnobiarchæ,
Viro admodum Reuerendo.



IMIRVM debebunt tibi æternũ, mi TOMASINE, tũ exteri, tum Patauini noſtri, cũ & calamo Tu, & per te viriculo nobilis calcographus Hieronymus Dauid, expreſſeritis ambo Illuſtrium Virorum qua facies, qua mores. Nobile ſanè inuentum, cuius Auctorem ſtatuit Plinius doctiſſimum, quem appellant, Togatorum M. Terentium Varronem, Libro XXXV. Capitulo II. illis verbis. *Imaginum amorem flagraſſe quondam teſtes ſunt, & Amicus ille Ciceronis edito de his volumine, & M. Varro beniſſimo inuento, inſertis voluminum ſuorum fœcunditati non nominibus tantum ſeptingentorum Illuſtrium, ſed & aliquo modo Imaginibus, &c* quò (vt hoc etiam obiter notem) videntur pertingere Libri, quos Hebdomades, vel de Imaginibus laudat Gellius Lib. III Cap. X. & XII. At quanto benignius inuentum hoc tuum? in quo non nomina tantum, neque Imagines aliquo modo, ſed & nomina, & acta, & virtutum ſpecimina, & oris lineamẽta proponuntur Orbi Vniuerſo ſpectanda. Macte Virtute, Vir Reuerende, per quem factum eſt, vt non ſolũ pictoris artificio delectemur, ſed etiam cõmemoratione hominum Prẽclarorum, & cognitione formarum. Neq; verò labori iſti tuo non erit ſua repoſita laus, & conſti-

tuta

tuta vtilitas. Habent enim Virorũ Clarorum vultus eam vim, vt excitent ad obeũda pręclara facinora. De se hoc testatur Vir Clarissimus, & qui litteras Gręcas primus illustrare conatus est, Leonardus Aretinus, in Commentario M. S. quem penes me habeo. *Ego quoque licet puer ab illa manu exulum captus, in Castellum Quaratæ (nam id quoque exules tenebant) adductus sum, et quia puer eram, non cum alijs captiuis, sed in honestiore quodam carceris cubiculo asseruabar. erat autẽ in ipso cubiculo picta Francisci Petrarchæ imago, quam ego quotidie aspiciens incredibili ardore studiorum eius incendebar.* Hęc ille. Tu Petrarcham tuum adornare perge, vt habeant nostri Adolescentes penè domesticum monitorem, qui illos excitet ad pręclara quęque capessenda. Habemus enim nos in Collib. suburbanis, (quod pulcherrima Vrbiũ Florẽtia nobis inuideat,) ossa & cineres illius Viri, ad cuius tumulum confluunt turmatim ex vltima vsque Europa examina Apum Philologicarum, studiosi Adolescentes. Tu interim

Cui cura Deos, secretaque Cæli
Nosse fuit, quem non stellarum AEgyptia Memphis
AEquarit visu, numerisque mouentibus astra,

dispice quęso, quidnam causæ fuerit, quòd & Petrarcha & Dantes, vterque Patria caruerit, vt inuidiosè etiam conqueritur Gabriel Symeonius, ille veterum monumẽtorum peregrinus indagator. Vale.

Domi. Die XVII Nouembris, quo Patauium nostrum è domestico Plaustro Hadriaco Tridente deturbatum, conquieuit in sinu (ò fuerit æternum?) Venetę libertatis M. DC. XXIX. Bellona & Libitina inuicem funera. procurantibus.

V. C.

I. PHIL. TOMASINO.

DEcora nympha, pręſcius Daphnes ſuæ
Cui Cynthius nomen dedit,
Idea vatis inclyti, quam candidus
Amauit & fleuit ſimul,
Pectus pudicum, certa quod penitè Fides
Inſedit, & triplex Charis.
Ecquid Poetę diua non debes tuo?
Cuius beata munere,
Calcas velocis horridas ęui minas,
Letheſq; torpidum chaos.
Sed Tu venuſte carminis Tuſci parens,
Ocelle Muſarum vigil,
Pincerna meri nectaris Permeſsidos,
Quod Hippocrene ſuggerit,
Amata nomen Laura ſi cedit Tibi,
Si vinnuliſq; verſibus,
Quas TOMASINO gratias reddes tuo?
Pollente cuius alite
Subuectus, & felicis ingenI rotis
Virum per ora duceris,
Illi omne punctum rurſus acceptum refers,
Vitamque cum fama trahis.

Amoris ergò feſtinabat

IOAN. VESLINGIVS *Mindanus, Eques*
Anatom. & Chir. Prof. Ord.

Eidem

EIDEM.

CVi Patriam invidit variæ diſcordia gentis
Vixque pepercerunt Arnus, & ipſa Thetis,
Excepit Puerum, nutriuit GALLIA Muſis,
Et cultum Latio reddidit ore Virum.
Ille renaſcentem Romæ Tuſciſque nitorem
Attulit: Exilij fructus vtrinque fuit.
I Sors, ſparge minas claris inimica Poetis.
Ingenio ſupereſt, ecce, PETRARCHA ſuo!
Dum triplici Lauro caſti nectuntur amores,
Stat Tibi perpetuum Carmine, LAVRA, decus.
Imber edax tumulum longo licet atterat æuo,
In chartis Vates his rediuiuus erit.

Obſeruantiæ ſymbolam
deproperabat
IO. RHODIVS.

IN-

INDEX CAPITVM.

PRoloquium.

Poetæ Patria, Natales, Parentes. Cap. I.
Constitutio corporis, & Mores animi. Cap. II.
Educatio, & Studia. Cap. III.
Ingenij præstantia. Cap. IV.
Eloquentia, & Poesis. Cap. V.
Egregia ingenij Monumenta. Cap. VI.
PETRARCHÆ *Opera MS. in Biblioth. Vatic.* Cap. VII.
Census eorum qui Vatis Vitam cõscripserunt, quive eiusdem Opera Comment. illustrarunt. Cap. VIII.
Vindiciæ tutelares. Cap. IX.
Honores, & inprimis Laurea ex Poesi parta. Cap. X.
Necessitudo cum Literatis. Cap. XI.
Existimatio apud Principes, & alios. Cap. XII.
Ser. Reip. Venetæ affectus in fidem & obsequium Poetæ. Cap. XIII.
Poetæ secessus in Vallem Clausam. Cap. XIV.
Affectus in Lauram. Cap. XV.
LAVRÆ *Vita, & Encomia.* Cap. XVI.
Iustinæ Leui Perottæ cultus in Petrarcham. Cap. XVII.
De Solitudine Parmensi. Cap. XVIII.
Arquadæ Collis Vicus, & Petrarchæ Domicilium. Cap. XIX.
Mythologia Iconum eodem spectantium. Cap. XX.
Posteritas. Cap. XXI.
Summa Vatis Pietas. Cap. XXII.
Senectus, Obitus, & Funus. Cap. XXIII.
Monumenta Petrarchæ viuo & defuncto posita:
Elogia eidem à Viris Clar. concinnata. Cap. XXIV.
Diuini Vatis Sepulchri violati Historia. Cap. XXV.



FRANCISCVS PETRARCHA FLOR.
PHILOSOPHVS POETA ET ORATOR.



FRANCISCVS PETRARCHA

FRANCISCI PETRARCHAE VITA.

PRAELOQVIVM.



ELINEATA vtcunque valuimus T. LIVII Patauini Vita, gradum facimus ad illustrandam FRANCISCI PETRARCHÆ memoriam, nominis illius splendore meritò prouocati. Nec sanè mihi quicquam carius fuit, quàm post Historici Principis monumenta PETRARCHÆ Poetarum & Oratorum æui sui Phœnicis gloriam propagare. Ille aureo Augusti seculo literarum decus: hic ferreo Poetarum propemodum extinctorum olor. Exstant Patauij eiusdem insignia pleraq; Monumenta: extat etiam Bibliotheca, quam ipsemet Ecclesiæ Cathedrali dono tradidit; nec paucæ Inscriptiones. Visitur & Arquadę sepulchrum eius marmoreum cum effigie ęnea, Domusque studiorum illius conscia, non secus ac illa Neronis aurea, celebranda. Quam vt Exteri, vel ab vltimis terrarum Orbis partibus Lyceum nostrum adeuntes, maiori fructu lustrent,

dum præclariſſima quæque Vrbis & Agri Patauini Monumenta ſtudiosè conquirunt, ſpectandam hoc in Opere dabimus Vniuerſis. Interea gemina, curioſe Lector, in ipſo operis limine fruere FRANCISCI PETRARCHÆ Effigie,quam Tibi exhibemus,qua licuit ſolertia è vetuſtis tabellis expreſſam. Diuerſam quidem, ſed tempore,non ſculptoris arbitrio. Primam debeo humanitati *Leonis Allatÿ* Viri Cl. noſtro æuo ad iuuandas literas,ad dignitatem, & gloriam, ad ſumma omnia, atque in primis Eminentiſſimi Cardinalis BISCIÆ maximi Muſarum Fautoris potrocinium nati,quæ olim apud ASCANIVM Columnam S. R. E. Cardinalem è viuo FRANC. PETRARCHÆ iam tum iuuenis vultu delineata, cucullo rubro laurea fronde inſignito ſpectabatur. Alteram prouectioris, è Bibliothecæ Vaticanæ Petrarchæ Poemate in membranis Ann. M.D.XVI. Manuſcripto in 4. numero 3198. depromptam, benignè mecum communicauit Vir Nobiliſſimus, eximiuſque literarum cultor *Caſsianus à Puteo* Eques Anno 1630. Die XXXI. Ianuarij. Quam cucullo rubro parte interiori, qua frontem tegit, coloris impluuiati ſeu fuliginei, ſubiecta tunica violacea elegantiſſimè inibi depictam addidit. Nunc Deo auſpice in eius VITAM primis coloribus adumbrandam calamum ducemus.

POE-

POETAE

PATRIA, NATALES, PARENTES.

Cap. I.

FRANSCISCVS PETRARCHA Phœbi nectar, Muſarum corculũ, Priſcæ eruditionis Decus, literarum Delicium, omnium ſeculorum memoria dignus, varijs fortunæ caſibus perpetuò agitatus, ſub hoc tandem noſtro Patauino Cælo in huius Vrbis perennitatem quieuit. Hic veluti in portu otio literario indulſit, tranquillã hic ſenectam egit. Nimirũ ex ampliſſimo Canonicorum Maioris Eccleſiæ Collegio fuit, & albo Patauinorum Ciuium aſcriptus ob merita, quę dum mecum ipſe reputo, & in eius Virtutes ac Mores illibatos attentus inquiro, facere minimè poſſum, quin totus in eius radios defixus obſtupeſcam. Occurrit eius Mihi *Patria* primo loco, & *Soli Natalis* ſplendor. Non enim Florentię, ſed Aretij ex præclaris vtique parentibus, Petrarcha Parenzo, & Brigida (vel vt alijs placet) Leta ex Canigiana Familia natus Annno CIↃ. CCC. IIII. Die Lunæ XIII Calendis Auguſti ſeu vigeſimo Iulij, quo primum tempore

Aurora in roſeis fulgebat lutea bigis.

Etſi vero Natalis hic dies non ſolùm aliorum, ſed fida quoquè ipſius Poetæ, relatione ſatis ſit certus: Non parum

rum tamen hic difficultatis initio Mihi iniecit eiusdem ad Posteritatem de origine, vita, conuersatione, & studiorum suorum successu Epistola cum reliquis operibus Venetijs Anno 1501 vulgata, in qua refertur ille *Aretij in exilio natus Anno* 1304 *die Lunæ ad auroram Calendis Augusti:* astipulantibus in vita Petrarchæ Antonio Tempo Iudice Patauino, & Siluano Venafro Interprete Poematum Petrarchæ. Nequè aliter hanc Epistolam editio Basilienſis typis Sebastiani Henrici Petri emissa Anno 1554 totidem verbis exhibet. Ac tantum hæc aliquandiu valuit apud multos opinio, vt eam quoque publico Petrarchæ Elogio sub ipsius effigie Patauij in Aula Prefecturæ vulgo Gigantea descripto hisce verbis propagari libuerit.

FRANCISCVS PETRARCHA FLORENTINVS NATVS EST ANNO CIↃ. CCC. IIII PRIMA AVGVSTI, ETC.

Verùm, si vnus hic Petrarchæ textus ad alios ipsius perscriptis literis æqua lance expendatur, leuior certè hic deprehendetur error, quam qui Historicis vlterius crucem figere valeat. Quid enim hisce libri octaui Epistola prima ad Boccacium Ticini ad Auroram XIII Calendis Augusti perscripta apertius? *Scito enim, & sciant si qui erunt, qui tam humilem, non fastidiant originem scire, me Anno ætatis huius vltimæ, quæ ab illo, qui hanc mihi spem tribuit* IESV CHRISTO, *& initium traxit, & nomen Milleſimo trecenteſimo quarto, Diæ Lunæ vigeſima Iulij illucescente commodùm aurora, in Aretina Vrbe, in Vico, qui Hortus dicitur, natum esse. Quæ dies apud nostros publica & insignis est nota, ea scilicet quod exules nostri, qui se Aretium,*

Bono-

Bononiamq; contulerant, hinc illinc contractis in vnum exercitibus, armati die illa, & ipsa fermè qua nascebar hora, antequam Sol iugis montium erumperet, ad portas primæ venerunt, si qua fors fauisset, ferro exilium vlturi, isque aduentus, etsi inefficax fuerit, quia tam magnis motibus, & ingenti omnia terrore concusserat, nescio quidem, an adhuc est memoria hostium elapsus, sed vsq; ad hos proximos annos, vulgò percelebris fuit. Hæc eadem hodie & Lunæ dies, & vigesimo est Iulij, Annus qui tunc erat quartus, nunc sextus & sexagesimus est. Epistola etiam octaua eiusdem libri ad eundem Boccacium hunc diem ipsum sibi Natalem transijsse lætatur. Hunc autem diem Iulij fuisse vigesimum D. Margaritæ sacrum, & Florentinorum de Gebellinis victoria clarum, auctores sunt omni fide maiores Villanus Historiæ Florentinæ lib. VIII Cap. 72 & Scipio Ammiratus lib. 4. pag. 171. Verisimile igitur non Auctoris negligentia, sed librariorum festinatione in Epistola ad Posteritatem numerum XIII fuisse omissum. Quin Papinius Massonus in Vita Petrarchæ Lutetię 1587 impressa pag. 12 ex Epistola ad Posteritatem signatè nominat XIII Calendas Augusti. Vetus quoque, vt suis Eruditiss. DD. *Iosephus Maria Suaresius* Episcopus Vasonus me monuit literis, in Eminentissimi Cardinalis FRANCISCI BARBARINI Bibliotheca Vitæ Petrarchę Scriptor, sed Boccacio Iunior, vigesimum Iulij diem Poetæ Natalem constituit: quamuis & ibidem antiquus alter Calendas Augusti approbet. Nec sanè alius diei Lunæ vbique, etiam in Epistola ad Posteritatem, expressæ conueniebat numerus, quàm Iulij vigesimus, si omnes diligenter euoluerimus Ephemerides, quæ Au-

gusti

gusti Calendas eius Anni 1304 Saturno siue Sabbatho assignant. Verissima igitur atque eruditis probata hæc firmo talo stet sententia quam Cardanus & Lucas Gauricus Episcopus Geophonensis Astrologię Antistites suę prædictionis primum posuere fundamentum. Quorum quidem fides si forte nonnullis in minima inquirentibus poterit esse suspecta, ea certe Hieronymo Squarciafico, Alexandro Vellutello, Io. Baptistę Gesualdo, alijsque Petrarchę expositoribus neutiquam detrahenda. Cęterùm, ne & hi Patrię studio affectui plusculum dedisse videantur, audiamus Cisalpinum Vossium Historię veritatis vbique sectatorem Eruditi de Historicis Lat. Commentarij lib. III cap. I de hoc nostro ita differentem: *Tantus Vir circa Anciſam ſeu Inciſam Florentini Agri vicum patre Florentino exule natus fuit* XIII *Kal Sextilis Anno* 1304 *non Anno* CIↃ. CCC. XL. *vt ineptè editum est apud Gualterum Burlæum libro de Vitis Philoſophorum. Etsi is profectò error Burleo verti vitio nequit, qui ipſe ſeculo ante id tempus floruit ac Petrarchæ æqualis fuit. At claruit Petrarcha Anno* 1340 *& proximis Annis* XXXV. Egregium sanè Viri eruditissimi iudicium, in quo tamen, salua ipsius auctoritate, hoc vnum desiderari posse videtur, quod Anciſam Poetæ patriam tradiderit, haud dubiè fama hac ab alijs Scriptoribus accepta, quibus ille fisus dum per grauiores literarum occupationes ad alios Auctores non potuit diuertere. Notum enim Anciſam Oppidum Florentia XIII duntaxat milliaribus distitum: Vbi eius parentibus in exilium missis morari minimè licuit. Partium enim aduersarum odio coacti sunt extorres à patrijs laribus longiùs amoti

Diuer-

Diuerſa exilia & diuerſas quærere terras.

Parentes itaque ipſius cum alijs Aretij exilij ſedem ſibi delegerunt. Quo in loco ipſemet Poeta in Epiſtolis ad Boccacium & ad Poſteritatem ſe ortum prodidit. Hoc ipſum teſtatur Domus, quæ Diuino Vati incunabula prębuit, maximo aduenarum concurſu celebris, cuius meminit Squarciaficus perhibens decreto publico vetitum fuiſſe ne ædium Patronus antiquam ſpeciem immutaret aut ampliaret, quemadmodum teſtatur Poeta ipſe rerum Senilium Lib. XIII Epiſt. ad Ioannem Aretinum: Quibus hoc quidem acceſſit venerationis, quod Petrarchæ cognomen meruerint. Sententiæ noſtrę vt probatiori fidem aſtruit, quod memoria accepimus Petrarchæ aliquādo Aretiū accedenti vniuerſam ciuitatem ſolemniter occurriſſe. Quod cęteroquin honoris, nulli præterquam Principi aut Ciui de patria ſingulariter merito ea ætate exhiberi ſolebat. Eius porrò Parentibus exilium peperere diuerſa, quæ tum vigebant, factionum ſtudia. Dum enim Florentina Reſpublica tunc temporis inteſtinis ſeditionibus acriter iactaretur, ciueſque inuicem dimicantes duas illam ſecuiſſent in partes, quarum altera Alborum, Nigrorum altera dicebatur, cœpere in peius omnia, ac retro ſublapſa ferri. Ea de re Nigri qui diutiùs exularant inopinato aduentu dominio Reipublicæ potiti, aduerſę partis potentiam contundere, totiſque labefactare viribus ſunt enixi. Sic Albis deiectis partim, partim ab Vrbe proſcriptis, eorumdem bona fiſco deuoluta protinus venundabantur. Alborum fortunam tunc ſequebatur Petrarcha Parentius clariſſimus Reformationum ſcriba, qui cum ſęuientem inimicorum ra-

rabiem ferre non posset, vna cum vxore Brigida potius cognomine fortassis quam nomine Leta Aretium se recepit, ibique auctus est filio, qui de Patris nomine, *Petrarchæ* cognomen accepit. *Franciscus* enim *Petrarchæ* filius initio dictus, vulgo Checco, vt in eius vita auctor est Leonardus Aretinus, mox FRANCISCVS PETRARCHA nominatus est passim. Alij quidem vernaculo sermone appellatum asserunt Petrarcho di Parenzo; nonnulli Petrarcho: scriptor vitę Petrarchę latinus, quẽ forsan nõ iniuria Xicchonem Polentonem alibi asseruimus, Patrem Petrum Petraconem nominat, vt in vtroque deprehendi Manuscripto. Et certè Leonardus Aretinus narrat, quod ipsius Pater fuerit Petracho, Parenzij verò nomen Auo tribuit. Plurimos autem etiam nostra ętate Aui ac Parentis nomen præferre non vsque nouum est. Sed enim ea fati vis erat vt idem exilij paterni calamitates pateretur, necdum in lucem editus. Parum quoque abfuit, quin Mater eius grauissimis partus doloribus afflictata concidisset, ipsomet Petrarcha teste, vt non obstreticum modò, sed & Medicorũ iudicio diu exanimis haberetur. Fratrem habuit Gherardum, qui in religiosam Carthusianorum familiam secessit, ibique honorificè vixit, vt ex Petrarchæ scriptis passim constat. Neque vllos prętera; multo minus sorores. Vt vel hinc demirari subeat Squarciaficum in Philelphi, nescio quod, de Poetę Sorore cõmentum adeo fuisse facilem. Hic Poetę nostri Ortus, hi Parentes, quos dum vigent literę, nulla silibet mortalium memoria.

CON-

CONSTITVTIO CORPORIS, ET MORES ANIMI.

Cap. II.

OELITVS & felici planè constitutione siderum PETRARCHA temperamentum optimum sortitus est. Affulsit illi nempe Sol quem vehebat Leo in Oriente positus, à quo pulchritudinẽ eximiam hausit: ob idquè statura mediocris, aut paulò superior, plena facie, rotundis membris, & in senectute ad crassitudinem vergentibus, viuacibus oculis fuit, è quibus, vt de Augusto Suetonius, emicarent radij quidam eximię maiestatis ac vigoris, qui pręstans illius ingenium, singularem ac propè diuinam sapientiam, omnibus aperirent. De quo quidem Thomas de Garbo Medicus subtilissimus iuramento asseruit se non vidisse corpus magis sanum aut melioris constitutionis. Ad peregrinationes etiam paratum finxit Mercurius in signo igneo, igneaque mente prędituin & cęlesti. Audiatnr ipse sua in Epistola ea de re scribens: *Corpus iuueni, non magnarum virium, sed multæ dexteritatis obtigerat: forma non glorior excellenti, sed quæ placere viridioribus annis posset, colore viuido inter candidum, & nigrum, viuacibus oculis, & visu per longum tempus acerrimo, qui præter spem supra, se-*

xagesimum ætatis annum me destituit, vt indignanti mihi ad ocularium confugiendum esset auxilium: tota ætate sanissimum corpus senectus inuasit, & solita morborum acie circumuenit. Oris eius Maiestatem, Squarzaficus etiam sic expressit in eiusdem Vita: *Erat facie pulchra, & eleganti, oculi viuaces, vt coruscantes scintillæ, ingenuitus sapientiæ plenus, quo vigor representabatur & grauitas.* & paulo inferius. *Fuit Venerabilis in aspectu, & maiestas quædam inerat, vt ipsum videntes induceret, etiam qui eum non cognoscerent solo tamen visu reuerendum & sapientissimum iudicarent.* Quod exemplo quoque facili comprobari potest. Scribit enim Iosephus Briuius Mediolanensis in nescio quo suo Panegyrico, quod cum PETRARCHA *semel esset Mediolani in aula Dominorum Vicecomitum, inter multos puratos & nobiles Viros, Galeacium, qui tunc Dominus erat, imposuisse filio, qui primus postea Dux Mediolani fuit, adhuc puero, vt sapientiorem de astantibus ostenderet. Puellum oculis hinc inde volutis* FRANCISCVM *adiuisse & manus apprehendisse & patri cum omnium admiratione monstrasse. Quid ab hominibus?* (exclamat subinde Briuius) *cũ à pueris eius cognosceretur aspectus?* Subijcit h's idem Auctor Petrarchę mores, & vltra progreditur in hæc verba: *Conuersatio eius honesta & iucunda omnibus extitit, vt nullus mœstus ab eo discederet. Oculi non deformes, sed viuaces. Visus adeo firmus & acer, vt sexagenarius literas etiam minutissimas legeret, nullo vitreorum oculis præsidio. Corpus habuit dexterimum vsque ad senectutem, qua pinguescere cœpit. In fine apoplectico morbo plurimum torquebatur.* Memoria dignum est, non leui prudentię argumento, quod Poeta Epist. 1. lib. VIII Senil. vt fatetur ipse, iuuenilibus

bus annis incanuerit : *propterea canities, quæ neſcio vnde iam inde ab annis teneriorib⁹ caput adoleſcentis inuaſerat, rara licet, quæ cum prima veniens lanugine albicanti vertice verendum neſcio quid haberet, vt quidam dixere, & teneri adhuc oris habitum honeſtaret mihi, tam eatenus iniucunda, quod ea ſaltem in parte iuuenili, quo gaudebam, aduerſaretur aſpectui.* Quid his immoror? Fuere mores eius niuei, liberi, ſuaues adeo, nihil vt ijs expoſci candidius, liberalius, ſuauius poſſet. Maiores ille venerari, pares dulci comitate complecti, obſequium Principibus vltro prębere, ſuauiter omnia peragere, Amicorum neceſſitudinibus ingenua quadam alacritate occurrere, in aulis Principũ ſui amorem omnibus inſtillare. Procul aberat ab omni faſtu, ſenſit ſuperbiam in alijs, non in ſe, & cum paruus fuerit ſemper minor iudicio ſuo fuit, vt ipſiſſimis eius verbis hic vtar, ſilentij ac ſolitudinis pręcipuus cultor, diuitiarum contemptor eximius, non quod illas non cuperet, vt cęteri, ſed quod curas & labores, quibus illæ parantur, odiſſet maximè. Quamobrem cum ijs abundare plurimum poſſet, ijs contentus fuit, quas ſatis ſibi fore duxit. Norat enim vera illa eſſe Claudiani, *Doctrina ipſa*

pretium ſibi, ſolaquè latè
Fortuna ſecura nitet, nec faſcibus vllis
Erigitur, plauſiuuè petit clareſcere vulgi.
Nil opus externæ cupiens, nil indigna laudis,
Diuitijs animoſa ſuis, immotaq; cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.

Tenui quoque victu, & vulgaribus cibis vitam egit lætius, quàm cum exquiſitiſſimis dapibus omnes Apitij ſucceſſores. Habebat potiſſimum in delicijs arborum fru-

ctus ob idque maximè vt igniculos libidinis extingueret quo ad eius posset. Scribit ille scilicet de se ipso. *Amore acerrimo, sed vnico, & honesto in adolescentia laboraui, & diutius laborassem, nisi iam tepescentem ignem, mors acerba, sed vtilis extintixisset. Libidinum me prorsus expertem dicere posse, optarem quidem, sed si dicam mentiar: Hoc securè dixerim, me quamquam feruore ætatis, & complexionis ad id raptum, vilitatem illam tamen semper animo execratum. Mox verò ad quadragesimum annum appropinquans, dum adhuc, & caloris satis esset, & virium, non solum factum illud obscœnum, sed eius memoriam omnem sic abieci, quasi nunquam fœminam aspexissem, quod inter primas felicitates meas memoro, Deo gratias agens, qui me adhuc integrum & vigentem tam vili & mihi semper odioso seruitio liberauit.* Hęc ille, & nos alibi alia, vbi de amore eiusdem erga LAVRAM differemus. Cęterùm vt reliquos mores eius adumbrem. Magni Vir animi & constantis fuit: nihil ille trepidare, timere nihil: aduersus omnes casus hilari & erecta fronte obuiam ire. Ad amicitias propensus, amicorum multitudine lętabatur. Religionis ac pietatis studio vitam cum primis cęlibem adamauit, Honorem etiam, & Gloriam, atque adeo libertatem ipsam, sic prorsus, impatiens seruitutis, vt multos etiam eorum, quos valdè diligeret, effugerit, *tantusque illi inerat* (vt ipsemet scribit) *Libertatis amor, vt cuius vel nomen ipsum libertati vel esse illi contrarium videretur, omni studio declinaret.* Attamen non ita libertatis fuit studiosus, quin boni publici causa Principibus suam probarit operam, licet tempore perexiguo, quod totum ipse septimestri circumscripsit. Vnum nempe mensem hibernum dedit stabiliendæ inter Venetos

&

& Genuenſes paci; tres eſtiuos in Germania pro concilianda vnione inter Vicecomitem & Carolum IV. Imperatorem; totidem hibernos in Gallia tribuit gratulando Regi Ioanni è cuſtodia demiſſo à Rege Britanię. Hos ille mores ex optima corporis conſtitutione nactus eſt, quos poſtea varijs ſcientiarum habitibus, ſummo ſtudio, iugique labore partis, excoluit, & perfecit.

EDVCATIO, ET STVDIA.

Cap. III.

NATVS Aretij PETRARCHA ſeptem inibi menſium ſpatio fuit. Amicorum enim Nobilium precibus reuocata ab exilio Mater cum filio rus paternum adijt, cui Anciſa nomen in agro Florentino ad XI III ab Vrbe lapidem ſita. Eius Mihi rei teſtis ipſemet Petrarcha, qui clarè; *Primum*, inquit, *illum vitæ annum, neque integrum Aretij egi, vbi in lucem Natura me protulerat, ſex ſequentes Anciſæ paterno in rure, ſupra Florentiam quatuordecim paſſuum millibus reuocata ab exilio genitrice.* Hic ille primam ſolitudinis auram hauſit qua ſemper delectatus eſt. Mirum dictu. In ciuitate ortus, rus adducitur. Inter aulas Sacrorum Antiſtitum Auinione cultus, Vallis Clauſæ receſſibus ſe ſe abdit. Mactus demum honoribus,

ribus,totique terrarum Orbi notissimus, in Arquadæ secessu Vitam, vti cœperat,terminare voluit. Anciſa relicta,Pisas delatus vna cum Matre Arni ferè vorticibus absorptus est tenerrimus puer. Iuuat hæc ipsius calculo comprobare: *Ferebatur puellus prævalidi cuiusdam iuvenis dextera pannis obuolutus, & non alius, quam Metabus Camillam, nodoso de stipite pendentem ne periclitaretur, baiulabatur. Sed in transitu Arni fluminis equus lapsu pedis genuflectitur,& iuuenis ille, in cuius dextera tenebatur, labitur, & dum sibi creditum onus saluare nititur,propè violentia gurgitis submergitur.* Degit aliquandiu Pisis,ibiquè sedulam primis Grammaticæ rudimentis operam dedit. Græcas literas hausit à quodam Barlaamo Calabro, postcà vt notat ipse Episcopo. Mouit eo quoquè tempore lapidem,quod aiunt, omnem FRANCISCI Pater, vt ab exilio reuocaretur; sed frustra. Quamobrem aliò cum filio cogitans Auinionem accessit,vbi tum Summus Pontifex vnà cum Purpuratorum Curia morabatur. At iter illud parum vtrique feliciter cessit. Simul ac enim ingressi nauem, vt suas secum facultates commodiùs adsportaret, soluere è portu, misceri pelagus turbinibus & procellis cœpit. Aquarum illi gurgitibus opprimuntur, quassatur primum, mox & frangitur nauis, sed aura secunda demum feliciter aspirante Auinionem appellunt. Ibi Pater FRANCISCVM literarum amore flagrantem liberalibus studijs totum addixit. Hinc ille de prima studiorum suorum ratione sua in epistola candidè ac disertè: *Octauum Annum Pisis, nonum ac deinceps in Gallia Transalpina ad lævam Rhodani ripam Auinio vrbi nomen: vbi Romanus Pontifex &c. Ibi igitur ventosissimi amnis*

ad ripam

ad ripam pueritiam sub parentibus, ac deinde sub vanitatibus meis adolescentiam totam egi, non tamen sine magnis digressionibus. Nam hoc tempore Carpentoras ciuitas parua, & illi ad orientem proxima, quadriennio integro me habuit, inquè his duabus aliquantulum Grammaticæ, Dialecticæ, ac Rhetoricæ quantum ætas potuit, didici, quantum scilicet in scholis discisollet, quod quantulum sit, charissime lector intelligis. & pergit de studijs suis reliquis ordine tradere quæ subnecto. *Inde ad montem Pessulanum, legum ad studium profectus quadriennium ibi alterum; Inde Bononiam, & ibi triennium expendi, & totum Iuris Ciuilis corpus audiui, futurus magni profectus adolescens, vt multi opinabantur, si cæpto insisterem. Ego verò studium illud omne destitui, mox vt me parentum cura destituit, non quia legum mihi non placeret auctoritas, quæ absque dubio magna est, & Romanæ antiquitatis plena, qua delector, sed quia earum vsus nequitia hominum depranatur. Itaque piguit perdiscere, quo inhonestè vti nollem, & honestè vix possem, & si vellem, puritas inscitiæ tribuenda esset.* Præceptores habuit cl. Viros & hos inter Io. CALDERINVM Bononiensem, & BARTHOLOMÆVM de OSSA I. C. præclarissimos. In monte Pessulano audiuit Ioan. Andream & Cynum Pistoriensem Iurisprudentiam ibi publicè profitentes, quibus cum summa necessitudine coniunctus vixit. Quin Cynus ab humaniorum literarum studijs non abhorrens, FRANCISCVM vnicè diligebat. Quamobrem otio quoties abundabat illius suauitate captus eum secum ad colloquia sæpissimè admittebat, & inter priuatas literarum altercationes identidem hortabatur, vt incœptum studiorum curriculum persequeretur. Cui tamen ille, Poesi & Eloquentiæ magis

gis addictus, tale responsum reddere consuerat: *Studium, ad quod me hortaris, seruile officium reputo, & Mancipium omnibus se præstat, qui illo vtũtur: & si paterna non foret reuerẽtia: si post me curreret, (quia libertate vti cupio) non acceptarem. Quis est qui non dicat, hæc iura venalia esse, & ad benè rectèque viuendum longè alijs studijs esse inferiora? Quid ad faciendum virum bonum ista conueniunt? Sed quis non videt ad virtutem consequendam nihil pertinere? Sed cupidum magis, mendacem, iracundumque hominem reddunt. Quid mihi est* De aqua arcenda *disputare? Quid* De stillicidio? *Quid si ancillæ partus in fructibus censeatur? Quid si quis legata persolui teneatur. Quin etiam si testamentum septem testibus caruerit, executioni mandetur, cum ista à legum latoribus luculentè explicata sint. Vos vestris commendationibus omnia peruertitis, sunt commendata super commenta, quæ in dies noui legulei scribunt, vt iam euenerit ex hoc, id quod ait Comicus,* Intelligendo nihil intelligant. *Sed vt dignitate tuæ, & paterno amori morem geram, persequar, & tempus non contriuisse ostendam.* Quamobrem nulla vnquam ratione potuit à mitioribus studijs auocari, etsi Mathematicis disciplinis incubuerit aliquando, vt indicat initium Epistolæ Boccacio scriptę lib. IX. Senilium. Imò tanto ferebatur in amœniores literas studio, vt nullis etiam Patris minis ab illis potuerit auelli. Is enim Bononiam cùm perrexisset videndi filij causa, Poetas & Oratores latinos ipsi ereptos rogo tradidit excandescẽs: Virgilium tamen & Ciceronem solos incolumes vix precibus obtinuit Vates noster, qui iam senex Amicis sæpe historiam repetijt. Interea vigesimum primum cum attigisset annum Matrem amisit, cuius obitum cum luge-

ret

ret maritus Anno ſequenti fatis cedit. Atque hic prima fuit liberioris ſtudij occaſio, rebus nempè domeſticis conſulturus patrios lares XXII ętatis anno reuiſit, qua de cauſa ipſemet verba faciens: *Itaque ſecundum & vigeſimum Annum agens domum redij, Domum (inquit) voco Auinionẽſe illud exilium, vbi ab infantiæ meæ fine fueram. Habet enim conſuetudo proximam uim naturæ. Ibi ergò iam noſci ego, & familiaritas mea à Magnis Viris expeti cœperat*: & quæ ſequuntur. Nec tamen curis domeſticis inuolutus, Eloquentiæ vel Poeſeos ſtudia intermiſit. Sed ijs in dies magis ac magis addictus, tãtũ in vtraq; profecit, quantũ profuiſſe palàm loco ſuo, & capite faciemus. Veritatis magis quàm auctoritatis ſtudioſum fuiſſe abundè oſtendunt hæc ipſiusmet ad Card. Ioa: de Columna verba: *Deambulabamus Romæ ſoli, meum quidem ob ambulandi Peripateticum morem noſti, placet natura, moribuſq; meis aptiſſimus eſt. Ex opinionibus quædam placent, aliæ autem minimè, non etenim ſectas amo, ſed uerum. Itaque nunc Peripateticus, nunc Stoicus ſum, interdum Academicus, ſæpe autem nihil horum, quotiens quicquam occurrit apud eos, quod ueræ ac beatificæ fidei aduerſum ſuſpectumue ſit.* Et paulo poſt: *Denique ſic philoſophemur, ut (quod Philoſophiæ nomen importat) ſapientiam amemus. Vera quidem Dei ſapientia* CHRISTVS *eſt. Vt uerè philoſophemur, ille in primis amandus nobis, atque colendus eſt: Sic ſimus omnes, quod ante omnia Chriſtiani ſimus: Sic philoſophica, ſic poetica, ſic hiſtorias legamus, ut ſemper ad aurem cordis Euangelium* CHRISTI *ſonet, quo uno ſatis docti ac felices ſimus.* Adeo magna ingenia libertati addicta nullius ſe mancipari patiuntur opinioni. Hinc variarum rerum cupiditate flagrans à IACOBO CO-

LVMNA Lomberiensi Episcopo in Vasconiam ducitur,& sub collibus Pyreneis æstatem duxit. Inde rediens cum eiusdem fratre IOA. de COLVMNA Cardinale multos annos suauissimè vixit. Sub idem tempus Gallias, & Germaniam peragrare voluit, viditque ea in peregrinatione Parisios, inquirendi cupidus quid ea tempestate de illa vrbe verum, quid fabulosum narraretur, motus fortasse incredibili habitantium multitudine, & studiosorũ, quæ humanam penè fidem superare videbatur;in primis vero Eruditorum hominum, qui rei literariæ ea ætate dictaturam exercebant. Rogatus à me per literas hac de re Lutetia, Die XXV Aug. 1634 sic respõdit Consultiss. Vir Io. Bourdelotius: *In ipso Virtutis & veritatis ore nihil tunc temporis frequentius, quam meros opiliones & bubsequos eos nuncupandos, qui non riuulis ex aquilegibus Parisiensibus deductis, aut ipso fonte lacteo maduerant, quod alibi per scruposas ænigmatum ambages & gryphorum flexuosos labyrinthos illic manuductione tutissimam sine mentis contentione discebatur. Adde tot præstantissimos eius artifices, quibus etiam ipsa natura inuidiam faciebat, vt si quid vbique terrarum vænibat, addita dictione operis Parisini pretium intendebatur.* Verùm vt redeam ad Petrarcham: inde Romam reuersus, pretiosa quæque antiquitatum monumenta ibidem lustrauit oculis,& mente contemplatus est vetera summi illius Imperij decora, iniuria temporis ac hostium immanitate disiecta. Auinionem ragressus Roma, inibi aliquandiu claruit prædictis Clarissimis & Humanissimis Viris Iacobo & Ioanne de Columna longè carissimus, apud quos Iuuentutis florem inter Musarum oblectamenta transegit.

IN-

INGENII PRAESTANTIA.

Cap. IIII.

INTER cæteras animi dotes prope innumeras, quibus claruit PETRARCHA noſter, Ingenij præſtantia ſic effulſit, vt eius diuinitatem admirarentur omnes, monumentis ęternùm victuris tranſmiſſam ad poſteros & probatam. Si quidem is refloreſcentis literaturę, latinæque linguæ horrenda neſcio qua barbarie obſitæ, hc penè ſepultę, aſſertor & inſtaurator fuiſſe dicitur Viris doctis, quorum è numero ſe cumprimis audiendum Deſiderius prodit: *Refloreſcentis eloquentiæ Princeps apud Italos videtur fuiſſe Franciſcus Petrarcha, ſua ætate celebris ac magnus, nunc vix eſt in manibus. Ingenium ardens magna rerum cognitio, nec mediocris eloquendi vis.* E quibus intelligi facile poteſt, ornamenta illa innumera, quæ dicendi Magiſtro (à quo Philoſophia abeſſe nequit) & neceſſaria, & propria ſunt, Petrarchæ cumulatè adfuiſſe. Quod verò rarò illum in manibus eſſe videamus, id petulantiæ, ignauiæ, & inſcitię ſeculi tribuendum duxerim, quo corrupto aures teretes & religioſas, verborum volubilitate demulcere, quam ſententiarum pondere prenſare conſuetum magis. Sanè noſtrum hunc emunctiſſimæ na-

ris & acerrimi iudicij virum multa & in se & in alijs desideraſſe, aliam quoque ſua in mente conditam habuiſſe eloquentię ſpeciem, quam exprimere nec ille, nec alijs permiſſum hactenus, e libro quo de ſua ipſius, & aliorum ignorantia grauiter & accuratè diſputat, aperriſſimè liquet. Quod nec Ludouicus Viues vir in omni literatura ſingularis, nec Franciſcus Floridus prȩcocis, ac elegantiſſimi ingenij, ſuis in cenſuris diſſimularunt, vt ex eorundem elogijs cõſtabit, quę loco ſuo proprio producemus. Illud omnino de Petrarchę ingenio alicubi proditum accepimus, quod dum ephœbus adhuc literis operam daret in ſcholis præceptores eius ſic illius prȩſtantiam admirari ſolerent, vt in illo diuinum aliquid intuentes perſæpe Patri dicerent. *Te nos beatum reputamus Petrarcha, quandoquidem filium ad omnes diſciplinas capeſſendas promptum genuiſti.* Cæterum quale FRANCISCVS ingenium ſortitus à Natura fuerit hiſce verbis ille expreſſit in epiſt. ad Poſteritatem: *Fuit Mihi vt corpus ſic ingenium magis pollens dexteritate, quam viribus. Itaque multa mihi facilia cogitatu, quæ executione difficilia prætermiſi.* Et ibidem: *Ingenio fui æquo potiùs, quam acuto, ad omne bonum & ſalubre ſtudium apto, ſed ad moralem præcipuè Philoſophiã, & ad Poeticam prono. Quam proceſſu temporis neglexi, ſacris literis delectatus, in quibus ſenſi dulcedinem abditam, quã aliquando contempſeram, poeticis literis non niſi ad ornatum reſeruatis.* Quibus ſtudijs caperetur ſpecialiùs alijs oſtendit inibi, quæ ſubnecto: *Incubui vnicè inter multa ad notitiam vetuſtatis, quoniam mihi ætas iſta diſplicuit, vt, niſi me amor charorum in diuerſum traheret, qualibet ætate natus eſſe optauerim, & hanc obliuiſci niſus animo me alijs ſemper inſerere.*

rere. Historicis itaque delectatus sum, non minus tamen offensus eorũ discordia, secutus in dubio, quo me vel verisimilitudo, vel scribentium traxit auctoritas. Atque in hoc literarum genere familiares sibi fuisse fatetur passim prę omnibus Virgilium, deinde Horatium; Homerum etiam tanti fecit, vt ex Gręcia impetratum à Nicolao Siozero Imperatoris Interprete suis sumptibus in latinum conuerti curauerit. Inter Philosophos ciuiles post M. Tullium ipsi in delitijs erat Seneca. Inter Philosophos Plato: Liuius inter Historicos: Inter Theologos D. Augustinus, cuius *Confessionem* sibi à Cardinali Columna donatam circunferebat, posthabito D. Hieronymo, quem ipsi multi cõmendabãt. Sed de eius ingenio ad Poesin prono audiendi etiam alij, & in his Io: Iacobus Canis Pat. I. C. qui in libello *de modo in Iure studendi* impresso An. 1476. curis à legũ studio alienis adscribit, quod Poeta in eo parũ profecerit hisce verbis: *Nec Propertius aut Tibullus amoribus innixus Iurisconsultus emicuit: Eandemq; ob causam Franc. Petrarcha de sua Laurea die ac nocte cogitans, quamquam vrgente patre, nequaquam profecit in Legibus.* Iudicium sanè nimis leue, imo à veritate alienum, cùm biennio post Lauræ primum innotuisset. Veriùs longè atque ęquius Petrus Lotichius Par. I. Bibliothecę Poeticæ: *A teneris cum vnicè Virgilio, & Ciceroni operam daret, magnam ob carminis, quam tum non exiguam exhibebat, industriam, de se eruditis excitauit expectationem.* Verbo dicam, tanta fuit illius acuminis magnitudo, tanta rerum humanarum, diuinarumque scientia, nihil vt esset memoratu dignum, quod eum lateret, nihil de quo non iucundè minus, quàm subtiliter disputaret; Vt non immerito de ipso in vita, quem

supe-

superius adduxi, Anonymus ille MS: *Multa quidem legit, multa cognouit, omnia inuestigauit.* Inde factum, vt quò maior quisquis esset in Curia Pontificis, eò studiosius affectaret Virum hunc pręclarissimum apud se habere, & virtutis eius splendore longè clarissimo lares suos proprios decorare. Nec tamen Apollinem sic habuit fauentem, quin ei nubes obtenderet liuor ab ijs natus, qui vel ingenij malitia, vel bonarum literarum inscitia Poetam, quē non assequebantur, de Magicis artibus non modo insectarentur, sed & reum agerent, propter frequentem Virgilij lectionem, de cuius Magia à Grammaticis sparsa circumferuntur varia. Ille vero integritatis, & ingenij fulgore tenebriones ita discussit, ita repressit, vt vel inde plus claritatis eius nomini accesserit. Quod ex Capite *de Existimatione apud Principes* ac *Amicitia cum Literatis* vberiùs apparebit. Hoc saltem veluti euidentissimum innocētiæ argumentū minime prętereundū censui, quod ipse Lib. I. Senil. Epist. III. Cardinali Talauando adducit: *Non credit profecto Magum Pontifex, quem secretarium vult, nec scelestis operam dare carminibus, quem interioris thalami arcano dignum, & sacris aptum censet epistolis. Magnas tibi pro tantis honoribus, nec minores pro tali errore depositio, grates ago.*

ELO-

ELOQVENTIA & POESIS.

Cap. V.

PRIMVS omnium PETRARCHA fuit qui felicis ingenij sui ductu extorres dudum è Latio politiores literas,& disperſas vnum in locum coegit,& bono quasi in lumine collocauit. Irruentibus enim Barbaris hinc inde in Latium purę Latinitatis elegans commercium obſoleuerat, ob eam cauſſam maximè quòd res eſſet cum barbaris, parique fato Etruſcæ linguę decor omnis excidiſſet,nec eius reparandi ſpes aliunde vlla ſe prodere videretur. Seditionum equidem vrbanarum & ciuilium bellorum iactura nunquam adeo ſęuire credebatur poſſe, vt vna cum concordia & libertate literæ interirent. Cum par hoſtibus lingua, parque elegantia foret, vſuſq; per atrocia caſtra, omnemque armorum ſtrepitũ fœcundæ latinitatis peculiaris. At verò cum Gothicis,& Hunnis nihil,quod ad linguę cultum attineret,commune, nihil diuiduum erat Latio, quod ab his vſque ad Theodoſij tempora ſumma vi inuadere inauſum eſſet, eaque calamitas vſque ad Petrarchæ ſeculum perdurauit. Si quidem is latinæ linguæ pariter, & Etruſcę facultatem amplexus, vtramq; conſtituere planè & certis adornare numeris

meris

meris flagranter cepit, quod & perfecit tanta ingenij solertia, duriora molliendo, & singulari suauitate varijs modis flectendo numeros, vt enactam dudum ac vix dũ efflorescentem Eloquentiam ingenti cultura, ad absolutæ maturitatis fructum, summumque adeo exactę elegantiæ fastigium perduxerit. Vidit id sola etiam fama, maximo meritorum argumento, licet PETRARCHÆ opera nunquam vidisset Eruditi seculi monstrum Iosephus Scaliger, cuius hoc luculentissimum de nostro Poeta extat testimonium Poetices lib. VI Cap. IV. PETRARCHA *ex lutulenta barbarie os cælo attollere ausus est. Cuius, quemadmodum diximus alibi, quòd nihil videre licuerit: eius viri castigationes, sicut & alia multa, relinquam studiosis.* Audiatur hic Vossius de Historicis Latinis Lib. III. Cap. I. & quid huius de Viri eximij eloquẽtia scripserit, expẽdatur: *Recensuimus ingentem eorum turbam, penes quos, iam inde ab excessu Antonini Philosophi vsque ad Imperium Caroli IV. vndecim & amplius seculis, historica res stetit in Occidente. Constituunt autem illi historiæ quasi senectutem: sed ita vt ipsi quoque gradibus quibusdam distinguantur: atque alij pertineant quasi ad primam, hoc est, crudam viridemque senectutem, qualem Charonti tribuit diuinus poeta: alij ad vltimam, hoc est, decrepitam planè, & capularem senectam: alij quasi in confinio amborum, & magis illis & minùs his, vietam quandam, & tardigemulam habeant eloquentiam. Deinceps verò agendum est nobis de tẽporibus nõ paullò felicioribus Caroli IV. Imp. qui regere cœpit Anno 1346 atque imperium tenuit Annis 32. Sanè cum extrema Ludouici Bauari ætate, tum præcipuè sub hoc Carolo studiorum humaniorum, & disertæ orationis honos instaurari cœpit. Laus ea in primis debetur Exi-*

mio Viro FRANCISCO PETRARCHA *qui literas à multo æuo misèrè ſepultas è Gothicis tumulis excitauit: vt iure optimo de eo ait Paulus Iouius in Elogijs Doct. Virorum. Idemque iudicium eſt Leandri in Italia, Scaligeri in arte Poetica, & cuius non?* Loquatur & hic Vadianus ex ſua Poetica titulo VI. *Franciſcus Petrarcha ferè primus fuit, qui barbaris caſtris bellum indixit.* Quamobrem Latinæ & Etruſcæ linguæ Inſtauratorem & Patrem habitum ita Iouius affirmauit. *Debemus plurimum ingenuo ſudori Petrarchæ ſemper æſtuanti dum literas à multo æuo misèrè ſepultas è Gothicis ſepulchris excitaret. Modo eum tanquam Italicæ linguæ conditorem, ac Principem ab incomparabili diuini ingenij virtute veneremur.* Eodem ferme tempore floruere Dantes, Petrarcha, & Boccacius, ſed teſte Franciſco Florido Sabino, *plurimum laudis inter eos meruit Petrareha, qui primus apud Italos cùm latinam linguam diu ſepultam ex ruderibus, & vetuſtate, in lucem aſſerere adortus eſt, quod tamen cum parum feliciter ſuccederet, vel quia bona optimorum librorum pars deſideraretur, vel quod opus maius eſſet, quam quod ab vno exactè perfici poſſet, ad Etruſcam linguam ſe inuitus contulit, quod ipſe edito de hac re carmine confitetur: Tantum abeſt, vt quiſquam inficiari valeat. Nec aliud ſanè clamant eius opera latinè ſcripta, quæ ſummum ingenium, nec mediocrem eruditionem oſtendunt.* Par illi confecit Elogium hiſce verbis Ludouicus Viues: FRANCISCVS *Petrarcha abhinc annos plures ducenteis Bibliothecas tam diu clauſas reſerauit primus, & puluerem, ſitumque è monumentis maximorum auctorum excuſsit, quo nomine plurimum ei latinus ſermo debet. Non eſt omnino impurus, ſed ſqualorem ſui ſeculi non valuit prorſum detegere.* Et Barthius lib. XIX.

Aduer. Cap. XIV. *Cæterum de increpatione hac Musarum à Philosophia, multis olim disceptauit,* FRANCISCVS PETRARCHA *primus veteris literaturæ Instaurator, quanquam & suo æuo non solus.* Et alibi. *At benè optimi & doctissimi viri iam inde ab ætate Fr. Petrarchæ, cum quo erigere caput, & ad priscorum auctorum exempla oculos attollere cæpit doctrina verè liberalium studiorum, aliam viam institerunt, quorum consilio apertis verè eloquentiæ campis tandem genuina latinitas efflorescere cæpit.* Præter quos possemus etiam memorare Leonardum Aretinum in duobus Dialogis nondum editis, qui asseruantur in ampliſſima Bibliotheca olim Sereniſſimi Ducis Mariæ à Ruuere, nunc verò Ciuitatis Vrbini, atque in Hiſtoria ſui temporis. Milium item in Hiſtoria Vniuerſi Cap. de Hiſtoria literaria: Et tandem Cl. Virum mihique amiciſſimum Gabrielem Naudæum Pariſinum Eminentiſſimi Cardinalis à Balneo Bibliothecarium in Additamento ad Hiſtoriam Ludouici XI. At in Panegyrica oratione ad Vrbanum VIII S. P. Muſarum vere Patrem. Quod encomium quia nondum eſt publici iuris, mecum per sũmam neceſſitudinem communicatum, in gratiam lectoris, mantiſſæ loco ſubnectere viſum fuit: PETRARCHAM *vero hominem prope diuinum, Antiquis parem, & ſeculo ſuo maiorem; cui Poeſis, Philoſophia, Humaniores Literæ ac eloquẽtia primam ſui in Italia reſtaurationem acceptam ferunt, tam prolixa & incredibili beneuolentia complexus eſt, qui tum temporis ſedebat Vrbanus V, vt quemadmodum ille nuſquam ſuis beneſitijs, ſic nec ipſe gratiarum actionibus finem impoſuerit.*

EGRE-

EGREGIA INGENII MONVMENTA.

Cap. VI.

NON Vrbium, non Rerumpublicarum curis, sed solitudini & otio literario PETRARCHA natus pulcherrima nobis ingenij sui diuini monumenta reliquit, quę tanto lepore affluunt, vt Eruditi omnes in ijs deguſtandis nunquam fatigentur. Inprimis vero metra Etrusca tanta sese facilitate commendant, vt iam omniũ, quibus vel exiguum cum literis commercium, manibus quotidiè terantur. Inde meritò de hoc ipso Boccacius sermonem habens in hæc verba prorupit: *Opera eius, tàm Prosaica, quàm Metrica, quæ plura extant, tanto splendore refulgent, tanta suauitate redolent, tanto florido ornatu spectabilia sunt, & lepore sonantium verborum melliflua, & sententiarum succo mirabili sapida, vt cælestis ingenij artificio potius, quàm humani fabrefacta credantur. Quid multa dixerim? profectò hominem superat, & in longum mortalium vires excedit.* Extat & hoc alibi eiusdem de Laura ac Operibus Petrarchę ad Hugonem Regem Cypri testimoniũ: *Stat enim exitum cupiens, adhuc sub conclaui clausa diuina Africa, heroico carmine scripta, primi Africani narrans magnalia.*

gnalia. Stat Bucolicum Carmen, iam vbique sua celebritate cognitum. Stat & Liber Epistolarum ad Amicos metrico scriptarum stylo: stant præterea ingentia duo Epistolarum prosaicarum volumina; tanta sententiarum, tanta rerum gestarum copia, tanto ornatus artificio splendentium, vt in nullo Ciceronis postponendas censeat lector æquus. Stant in Medicum Inuectiuæ. Stat solitariæ vitæ liber, & qui paucis post diebus in lucem nouissimus venturus est, de remedijs ad vtramque fortunam. Sunt præterea in officina plures, quos cito eo viuente fabrefactos legemus in publico. Accedunt his quæ Io. Herold in Operum eiusdem præfatione præmisit. *Hoc inter numerandus est* FRANC. *Petrarca cuius scripta quidem existimantium arbitrio, benignitate cælesti, admiranda non esse haud potuere, imo ingenij & animi vi æternitatem consequi necesse fuit.* Et alia ab alijs edita pari stylo. Præclara quippe sunt, planèque diuina illius opera in quibus vitę euentibus mirè explicatis nos ad benè beatèque viuẽdum facilè dirigit. Quam ob causam Hieronymus Cardanus in eorum laudem sic excurrit. *Multa in hoc Viro præclaro egregia fuere. Primum, carminum suauitas elegans, qua per vniuersum orbem celebratur. Secundum est profunditas sensuum cum studio maximo. Tertium perpetuo manens ac indefessa gloria, vt etiam in Hispanicam linguam transierit. Quartum est cœlibatus & Orbitas. Quintum linguarum pluralitas: percalluit enim latinam linguam ac Græcam. Suaui Eloquentia insuper, qua maior præstari non potest, auctoritas doctrinæ & eloquentiæ coniuncta, religio cum vita longiore ex elementi hac Cæli constitutione illi contigit.* Vnde satis mirari nequeo, quid animi fuerit Gesualdo, quando dictionem Poetę nostri mediocrem constituit, cum à sublimi dicen-

dicendi genere parum abſit. Quot verò quantaque ſcripſerit, indicabit eorum Elenchus, quem oculis hic ſubnecto ex vltima Baſilienſi editione . Nimirum vulgauit.

De Remedijs vtriuſque fortunę libros II *ad Clarum Virũ Azonem Corregium Principem Parmenſem Amicum ſuum.*

De Vita Solitaria libros II *Ad Virum ſumma reuerentia dignum Philippum Patham Patriarcham Hieroſ. S. R. E. Cardinalem literis ornatum ac literatorum Patronum.*

De Ocio Religioſorum lib. II *Sodalitati magnæ Carthuſiæ dicatos.*

De Vera Sapientia Dialogos II.

De Contemptu Mundi, ſiue Secretorum Dialogos III. Qui monente ad me literis humaniſſimis Eruditiſſimo Franciſco Bernardino Ferrario Mediolani ſunt in Bibliotheca Ambroſiana ſcripti in membranis titulo *De Conflictu miſeriarum ſuarum* volumine grandiſculo folij minoris , quod idem ſonat in Editione Veneta 1501. De Conflictu curarum ſuarum.

Pſalmos Penitentiales VII.

De Republica optimè adminiſtranda Librum *ad Imaginibus, virtutibuſq; ornatiſs. Virum Franciſcum Carrarienſem Principem Patauinum.*

De Offitio, & Virtutibus Imperatorijs Lib. *ad Magnanimum, bellicæq; rei peritiſs. Virum Luchinum Vermium Veronenſem, exercitus Veneti Imperatorem.*

Rerum memorabilium Libros IV.

Vitarum Illuſtrium Virorum Epitomen *ad ſupra laudatum Franciſcum Carrarienſem Principem Patauinum.*

De

De Pacificanda Italia Exhortationem.
Ad Veteres Romanæ Reip. Defensores Orationem.
De Libertate capescenda Hortatoriam.
De Obedientia, & fide vxoria, in qua habetur Historia Grisildis.
De Auaritia vitanda Orationem.
Itinerarium Syriacum.
Mirari subit Michaelem Pociantium, etiam patria Florentinum, non animaduertisse idem hoc esse, quod titulo Itinerarij ad S. Sepulchrum Io. Mandelli Medico nuncupati vt diuersum adducit. A quo plurima cum esset mutuatus Vir variæ ceteroquin lectionis Antonius Possevinus nimia credulitate in eumdem errorem incidit.
Et hęc quidem omnia complectitur TOMVS PRIMVS. In altero hęc habentur.
Epistolarum de Rebus familiaribus Libri VIII *ad Socratem suum.*
Epistolarum ad quosdam ex veteribus illustriores Liber vnus.
Epistolarum sine titulo Liber vnus.
Epistolarum de Rebus Senilibus Libri XVI *ad Simonidem suum.*
Epistolarum Variarum Liber vnus.
Quibus postea ex Vetusto Codice Bibliothecę I. Chalasij accessere insertæ hinc inde diuersi argumenti alię LXV. peculiares editioni, quę *Lugduni apud Samuelem Crispinum M DC I.* prodijt.
De sui ipsius, & aliorum Ignorantia liber *ad Donatum Apennigenam Grammaticum.*
Apologia contra Gallum *ad Vgutionem de Thienis.*

In-

Inuectiuarum contra Medicum quendam Lib. IIII.
Notha, seu quæ falso Auctori tribuuntur, inter quæ Propositum quoddam factum coram Regem Vngariæ.
TERTIVS TOMVS Eiusdem Opera Poetica comprehendit, ac primo quidem
Epistolas de sumenda atque recepta Laura ad Amicos V.
Bucolicorum Eclogas.
Africam hoc est de bello Punico lib. IX.
Epistolarum lib. III.
Testamentum Auctoris.
Hisce eruditorum quidam accensuere SENECÆ Philosophi Vitam: nec aliter ego in Vita cl. Laurentij Pignorij, vbi hanc inter eius MS. recenseo, secutus tanti Viri iudicium, & communem quorundam opinionē. At posterior dies prioris Magister: rectiùs me docuit summi iudicij Vir, qui in editione Senecę castigatiori Basileę Anno 1529 emissa eam recentio ris cuiusdam non prorsus indiligētis, ex Tacito, Suetonio & D. Hieronymo acceptam, censet. Nec aliter credo existimabit, quisquis Auctorem nostrum ex sermonis pondere benè ęstimare nouerit, vt sileam mortis historiam hic parum bona fide referri, vt ex Tacito liquet.
TOMO QVARTO vernacula siue Etrusca lingua conscripta insunt opera.
Sonetti, e Canzoni in vita di Madonna Laura.
Sonetti, e Canzoni in morte dell'istessa.
Trionfo d'Amore. Trionfi della Castità, della Morte, del Tempo, della Diuinità, ouero Eternità.
Quod opusculum in schedis repertum sine Auctoris li-

ma prodijt.

Canzoni, e Sonetti alquanti in risposta à diuersi suoi Amici.

Illud quoque à fide dignis auctoribus accepimus, quod cum ad eum visendum processissent multi Veronæ, atque gratificandi studio *Africa* ipsius palam recitaretur, ipsum fusis lachrimis rogasse, ne vlterius progrederentur. Causſam verò sciscitantibus respondisse: Vtinam opus illud abolere possem, nulla mihi profectò res gratior aut iucundior foret. Sunt qui putant id ab ipso fuisse prolatum, quod fœtus ille adhuc fuisset immaturior. At modestum nimis de semetipso Vatis iudicium, quod licet voce fuerit proditum, à mente ipsius nihilominus diuersum fuit. Sic enim de hac ipsa Poetę Africa in Vita eius MS. Bibliothecæ Canonicorum Regularium S. Io: in Viridario Patauij Paulus Vergerius: *In ea quidem ad marginem nam dudum illius manum notissimam habeo, ita scribit:* *Raro vnquam patri aliquis tam mœstus filium vnicum in rogum misit, quanto id fecerim dolore, vt si omnes labores meos eo in opere perditos acriter tecum voluas, vix ipse lachrimas contineas.* At ne quicquam desideretur ad pleniorem huius Poematis notitiam de eo sic Auctor in Epist. ad Post. *Illis in montibus vagantibus, sexta quidem feria maioris hebdomadæ, cogitatio incidit & valida, vt de Scipione Africano illo primo, cuius nomen, mirũ vnde à prima mihi ætate charum fuit, poeticum aliquid*

heroico

heroico carmine ſcriberem, quod tunc magno cæptum impetu varijs mox diſtractus curis intermiſi, ſed ſubiecti de nomine Africæ nomen libro dedi, operi neſcio, qua vel ſua, vel mea fortuna, dilecto multis, antequam cognito. Alieno certè arbitrio ſi res æſtimanda fuerit, fati, quo excepta fuerunt eius ſcripta, ſecundioris locupletiſſimum præbebunt argumentum Editiones diuerſarum linguarm illuſtres varijs in Regionibus per tot ſecula perennatę.

Hæc quidem Operum Petrarchæ ſeries iudicio eorum, quibus ex typographia Baſilienſi ea lucem debent, quæ adornata prodiere cura & ſubſidio trium Virorum rei literarij *Bonifacij* Amerbachj, *Conradi* Lycoſthenis & *Cælij* Secundi Curionis. Quis verò ea primus collegerit, aut digeſſerit, nondum liquet. Pluſculum tamen operæ hic adhibuiſſe Ioan. Aretinum maximè circa Etruſca & Poetica teſtis eſt ad ipsũ Vates noſter Senilium Lib. XIII Epiſtola IV. hiſce verbis: *Dicis te habere Epiſtolas meas multas, velim omnes & maxime correctas habeas.* Et paulo poſt: *Ad hæc cuncta noſtra vulgaria, & ſi quid eſt Poeticum collegiſſe te ſperas, ſed id mihi difficile eſt creditu.*

Præter hæc plurima alia è pluteis deprompta prudens noſtrę memoriæ ſubduxit. Sic enim ipſe in quadã ad Iſocratem Epiſtola. *Quid multa? Incredibilem fortè rem audies. Verum tamen mille vel eo amplius ſeu omnis generis ſparſa Poemata ſeu familiares Epiſtolas, nõ quia nihil in eis placuiſſet, ſed quia plus negotij quam voluptatis inierat, Vulcano corrigendas tradidi non ſine ſuſpirijs.* His fortaſſe accenſebitur Comœdia Io. Columnæ dicata, de qua Squarciaficus loco ſepiùs memorato. Maiorẽ ve-

rò operum partem Latinè scriptam fatetur in Epistolis ipse, ne vernaculo sermone vulgo prostituerentur. De quibus omnibus semper præclarè statuit Eruditorum cœtus. In primis verò Boccacius qui sic de Africa: *Esto, æuo nostro tertius exurgat, Africanus, non minori gloria, maiori tamen iustitia delatus in æthera, versu Viri celeberrimi Francisci Petrarchæ, nuper laurea Romæ insigniti. Tãta enim facundia, & lepiditate sermonis in medium trahitur, vt ferè ex tenebris longi silentij, in amplissimam lucem deductus videatur.* Et de Bucolicis ibidem: *Illustris atq; nouissimus Poeta Franc. Petrarcha in suis Bucolicis sub velamine pastoralis Eloquij, Veri Dei & inclitæ Trinitatis laudes, mira descriptione notauit.* Sensit & egregiè de ijsdem tum iuncta, tum soluta numeris oratione Paulus Vergerius, cuius idcirco versus hac in parte damus.

Illustres celebrare viros, medicamina vtramque
Porrigere in sortem, tranquillæ munere vitæ,
Dicere Franciscus potuit, tractauit anhelos,
Ore potens triplici materno stamine amores.
Carmina pastorum, sensus condentia miros,
Cum caneret, magnum gracili spirauit auena
Africa cum scriberet fausto rem nomine dignam,
Multaq; præterea vario deprompsit ab ore,
Vltima sacratis studijs, dans tempora vitæ.

Neque his inferius magni nostra ætate Polyhistoris Ioa. Gher. Vossij iudicium Lib. III. Cap. I. de Historicis latinis, nec non Michaelis Pociantij de scriptoribus Florentinis. Itemque Eminentissimi Cardinalis Roberti Bellarmini de Scriptoribus Ecclesiasticis & alio-

aliorum.

Porrò, ne quid ingenui Lectoris curiositati deesset, & meæ fidei & amori satisfactũ putabam, si eorumidem in Vaticano MSS. Indicem singulari Viri Eruditiss. Leonis Allatij benignitate ad me transmissum, non tam amici in me affectus, quam publici studij & diligentię ingens argumentum, hic subnecterem.

FRANCISCI PETRARCHAE Opera MS. quæ asseruantur in Bibliotheca Vaticana.

Cap. VII.

DE Remedijs Vtriusq; Fortunę Lib. II. Princip. *Cum res, fortunasque hominum.* Codd. 3354. ex perg. in 4. 4519. & perg. f. 4520. in pap. in fol. 4521. & 4522. in perg. f. De Vita Solitaria lib. 2. Ad Philippum Cauallicen. Episcopũ. *Paucos homines noui.* 4518. ex perg. ex fol. 4528 ex perg. fo. 4529. in perg. in 4. 3357. ex pap. in fol. scriptus manu propria Petrarchę, testimonio Bernardi Bembi, qui ita prefatur: *Francisci Petrarchæ Laureati clarissimi libellum de vita solitaria lege feliciter quisquis humanæ vitæ conditionem, vt est, momenta-*

neam, fluxamquè admodum quasi è specula circumspicere desideras, lege accuratiùs. Ingenio hominis, scio, oblectabere. Non eius, qui propria virtute magna se assequi posse desiderat, sed qui imperitum mortalium vulgus, eiusq; inanes curas, & pœnitenda vota, imò verò insanias, ac deliramenta magno atque constanti animo, & recto, ut aiunt, vertice ad beatissimam illam quietem intentus quantum mortali præstare licet solido, ac recto pede calcaueris. Videbis ibidem Petrarchæ manum, cuius est Archetypum vniuersum, quod opus vides festinatius licet exscriptum, vtpote qui firmiore calamo æquatos & rotundos characteres exarare solitus sit. Sed ita Petrarchæ ipsa, quam vides manus indubia est, qua oblectamur accuratissimi: multis documentis, quæ non attinet dicere, uti hæc est Bembi, qua testamur fidelissimi. Sed caueo, quod studiosè perlegeris, ne tibi absonum statuas comprobari, quando illud nobis est, de tanto viro, sanctoquè Iudicium. Sanè qui omnes vnus numeros vitæ mortalium examussim complexus est, vt Sedigitij verbis vtar. Quod si quis secus sentiat nihil sentiat. BERNARD. *B.* DOCTOR.

Rerum Memorandarum lib. 4. *Sed mihi cuncta versantur.*
3356 ex perg. in 4. 4526. ex perg. in fol.

De Sui ipsius, & multorum Ignorantia, ad Donatum Apennigenam Grammaticum. *Nunquam ne igitur* 4518 ex perg. in fol. 4527. ex perg. in fol. 3359. ex perg. in 8. Autographum Petrarchæ. Notatur in principio libri. *Præsens libellus scriptus extitit manu propria spectati Viri Francisci Petrarchæ,* & in fine. *Ante biennium dictatum, & alibi scriptum à me ipso scripsi, hic iterum manu mea, & produxi ad exitum Arquadæ inter colles Euganeos*

neos 1370. *Iunij* 29. *vergente ad occaſum die* .

Inuectiuarum in Medicum obiurgantem lib. 4. *Quiſquis es, qui* . 4518. in perg. in fol. 4527. in perg. fol.

De Fide, & Obedientia vxoris, ad Ioannē Boccatium de Cetaldo. *Librum tuum quem.* 1666. in perg. in 4.

De Secreto conflictu lib. 3. *Attonito mihi quidem.* 2973 ex pap. in fol.

Inuectiua contra quendam Gallum innominatum, ſed in dignitate conſtitutum . *Eras fateor* . 4527. ex perg. in fol.

Epilogulus de Dignitatibus, & Officijs Romani Populi. *Senatus nomen ætas dedit.* 1541. in perg. in 4.

Virorum Illuſtrium vitæ . *Illuſtres quondam* . 4523. ex perg. fol.

De Vitis Imperatorum Liber, qui & Auguſtalis dicitur, incipiens à Iulio Cæſare vſque ad Vincislaum . *Opta illuſtris Princeps.* 4137. ex pap. in 8. 4524. in perg. in 4. Alius incipit. *Primus qui Romanum.* 3551. ex perg. in 4.

De Vita Cęſaris. *C. Iulij Cæſaris dicta.* 4525. in perg. in fol.

De Hercule quot, & quales fuerint. *Placet inſuper Tullio.* 2027. ex pap. in fol. eſt tractatus ſimillimus Genealogiæ Boccatij.

Itinerarium ad S. Sepulchrum. *Raro admodum ſpei.* 3357 in pap. in fol. cuius titulus ita legitur . *Itinerarium Franciſci Petrarchæ Poetæ Florentini, qui obijt anno Domini* 1379. *in Padua AEtatis ſuæ anno Lxxi.*

Septem Pſalmi Pęnitentiales . *Heu mihi miſero* . 1216. in pap. in fol. 4518. in perg. in fol. 4999. in fol. 5163.

in

in perg. in 4.

Psalmi Confessionales. *Superbum me scisti Domine.* 5163. in pap. in 4.

Epistolæ. *Sæpe mihi propositum.* 3355. in pap. in fol.

Epistolarum sine titulo liber I. *Cum semper odiosa.* 4518. in perg. in fol. 4527. in perg. in fol.

Epistolę quædam. *Errarem haud profecto.* 4523. ex perg. in fol.

Epistolæ, quarum index in principio. *Nondum satisfacerem.* 5621. in pap. in fol.

Epistola ad Ioannem Boccatium, cui miserat Inuectiuarum lib. 4. *Quatuor Inuectiuarum.* 4518. in perg. in fol.

Epistolæ 4. ad Ioannem Boccatium I. *Ad literas tuas.* II. *Epistola status tui.* III. *Librum tuum, qui.* IIII. *Arsit amor tui.* 4518. ex perg. in fol.

Epistola contrà Gallum ad Vgotionem de Tienis. *Nuper aliud agenti.* 4518. ex perg. in fol. 4527. ex perg. in fol.

Epistola alia. *Maius opus aggredior.* 4523. ex perg. in fol.

Epistola ad Clementem VI. fugiendam Medicorum turbam. *Febris tuæ nuncius.* 4527. ex perg. in fol.

Epistola ad Lombardum Serico, quid sit humana vita. *Quid sit de hac vita.* 1935. ex pap. in 4.

Epistola Antonio Parmensi. *Fama loquitur.* 2951. ex pap. in 8.

Epistola ad fratrem Ioannem. *Anilem tibi fabulam.* 5221. ex pap. in fol.

Contra inuidos excusatio calumniæ datę de Versibus. *Hic postquam medio.* & de Bucolica. alio etiam titulo

contrà

contrà ignaros, atque inuidos reprehenſores, ad Ioannem Boccatium. *Aut tacere oportuit*. 4518. ex perg. in fol. 4527. ex perg. in fol.

Epiſtolarum lib. 4. *Si mihi ſæua pium ſeruaſſent*. 1618. ex perg. in fol.

Carmen Bucolicum. *Monice tranquillo*. 3358. ex perg. ſcriptum Anno 1357. in 8. Cum ſcholijs 1679. ex perg. in fol.

Elegia ad Bernardum Ruthenſem Cardinalem. *Terrificas tam magna*. 4518. ex perg. in fol.

Ad Eũdem initio ſuper neglecta Matronum lege. *Obruor immenſa rerum*. 4518. ex perg, in fol.

Ad Conuiciatorem quendam. *Detrahis atque animum*. 4518. ex perg. in fol

Ad Inuidum quendam. *Si tua per longam*. 4518. ex perg. in fol.

Verſus ſuper morte Magonis fratris Annibalis. *Hic poſtquam medio*. 4518. ex perg. in fol. & alio titulo: Vnde orta eſt lis, & reprehenſio inuidorum. 4527. ex perg. in fol.

Oratio in B. Hieronymum. *Rore parens perfuſe*. 4321. ex perg. in fol.

De Laudibus Italię, quando redijt in Italiam. *Salue cara Deo tellus*. 1858. ex perg. in 4. 2932. ex pap. in 8. 2951. ex pap. in 8. 4514. ex pap. in 4.

Carmina Latina. 4836.

Carmina Italica. *Voi che aſcoltate*. 1213. ex pap. fol. 3198 ex perg. in 4. in principio effigies Petrarchæ 4587. ex pap. in 8. 4784. ex perg. in 4. 1680. ex perg. in fol. 5154. ex perg. in 8. 5155. ex pap. in 8. 5994. ex pap.

in

in fol. scriptum Autographum Petrarchæ 3195 ex perg. in fol.

Fragmenta Autographa. *Signor mio caro*. 3197. ex pap. in fol. scriptum à Petro Bembo Cardinali 3197 ex pap. in fol.

Cum quibusdã scholijs, & annotationibus 4786 ex pap. in 4. Erat Petri della Valle 4783 ex perg. in fol.

Trionfi. *Nel tempo che rinoua.* 3142 ex perg. in 4. 3156 ex perg. in 8. 3216 ex pap. in fol. 4785 ex perg. in 4 scriptum anno 1541.

De Coronatione Regis Ludouici Epistola ad Nicolaũ Acciaiolum. *Nell'vltimo huomo*. 4820 ex pap. in fol. 4824 ex pap. in fol.

De Viris Illustribus Italicè, *Romulo fù el primo.* 5903 ex pag. in fol.

Franc. Petrarchę Vitę, *Franciscus Petrarcha.* 4520 ex pap. in fol. 5263 ex pap. in 4 per P.P.V. 5155 ex pap. in 8.

Per Leonardum Aretinũ Italicè, *Francisco Petrarcha huomo.* 2027 ex pap. in 4. 4824 ex pap. in fol.

Priuilegium Laureationis Francisci Petrarchę, 4999 ex pap. in fol.

Index Vocum Petrarchę, & quorundam Poetarum Antiquorum, videlicet Siculi Regis Roberti, & Barbarini collectarum per Angelum Collutium, *Altr'huomo di quel ch'io.* 3217 ex pap. in fol.

Alberti Orlandi, & aliorum carmina in opera Petrarchę, *Beato il prego.* 4587 ex pap. in 8

Antonij Beccari de Ferraria Canzone in lode del Petrarcha, *Io hò già letto.* 4999 ex pap. in fol.

Flores extracti ex libro Petrarchę de Remedijs vtriusquè

fortu-

fortunę. *Apud noſtros homines.* 5221 ex pap. in fol.
Nonnulla epigrammata in Petrarcham in fine Codicis. 3357. ex pap. in fol.
Extant etiam Florentiæ Petrarchæ opera MS. quę Cl. Vir Deodatus iteratis ad Gabrielem Naudęum Medicum Pariſinum literis ſe in celeberrima S. Laurentij Bibliotheca vidiſſe refert. Idem mihi teſtatus eſt familiaribus colloquijs Ioan: Rhodius, & Iacobus Gaffarellus; librorum ineditorum omnes inueſtigatores acerrimi, & nuper humaniſſimis ad me literis D. Iacobus Gaddius Poeta Florentinus, in cuius Muſeo nunquam adhuc editę reperiuntur Petrarchę Latino ſermone Comędiæ *De Caſu Medeæ.* Itemq; *De ciuitatis Ceſenæ deſtructione*. Dummodo non idem hiſce contigerit, quod de alijs refert, Ipſe Lib. II. Senil. Epiſt. IIII. *Scribis te vidiſſe opuſcula nuper aliquot; quædam quoque vulgaria, meo nomine inſcripta, quorum mihi principia miſiſti, tantumque de ſingulis, vt intelligerem mea an eſſent, an alterius. Laudo diligentiam, ambiguitatem miror. Ego enim ſubito ijs conſpectis, non tantum intellexi mea non eſſe, ſed indolui, ſed erubui, ſed obſtupui, potuiſſe illa, vel mea videri alijs, vel te dubium tenuiſſe.*

Præter omnia huius noſtri Opera aliàs diuulgata ſuis ad me die 13 Septembris 1634 omnis Eruditionis laude celeberrimus Vir D. Franciſcus Bernardinus Ferrarius Mediolani in Ambroſiana Bibliotheca extare MS. Libellum in membranis in 4. *De Regimine Principũ.* Petrarchæ etiã ad Virgiliũ in membranis folio maiori elegantiſſimè deſcriptum Notæ Marginales manu ipſius exaratę extant ibidem, Epiſtola premiſſa eo-

dē charactere Poetæ à nonnullis ascripta, cuius initiū: LAVRA *proprijs virtutibus* &c. quam inferius suo loco dabimus. Similem se in Bibliotheca Vaticana vidisse referebant quondam Laurentius Pignorius & Martinus Sandelius Viri amicissimi, in cuius principio Poetæ & Lauræ Effigies subiecto disticho videbatur. Petrarchę in Columellam notas aliquando fuisse in Bibliotheca Vaticana deprehendi ex Aduersarijs Philologicis intimi mei Ioannis Rhodij. Ex Indice Bibliothecę Augustanę in subsellio 9. Codic. 243 ascribitur libellus Petrarchæ MS. cui titulus est: *Ars punctandi.*

CEN-

CENSVS EORVM, QVI VATIS nostri vitam conscripserunt, quiuè eiusdem opera Cõmentarijs illustrarunt.

Cap. VIII.



A semper fuit Vatis nostri celebritas, & operum eius sublimitas, vt eò eruditorum omnium cohortes veluti apes ad flores delibandos cõfluxerint. Quid dulcius, quid cãdidius huius nostri sermone, qui in Latinis, Græcis, disertus, in Etruscis lenior. Vtrobique animos iam virtutum disciplinam, iam verborum pigmentis, ac lepore suauissimo attrahit, mouet. Viget in sermone soluto neruus: Carmen eius plenum, tersum laboriosum, omnium genio accomodatissimum. Vbiquè mira rerum suauitas, ac varietas, sententiarum lumina, verborum robora. Quamobrem haud mirandum, si tot viri Eruditissimi, tã miris dotibus ornati, Elogia in ipsius operum illustrationem tantum studij, ac laboris certatim contulerint. Quorum seriem, ne quid hic desideraret æquus Lector, subnectere, à nostro instituto non prorsus alienum fuerit. In quorum numero Latina dictione primam laudem meretur Petrus Paulus Vergerius Iustinopolitanus

Carrarienſibus Principipus domeſtici Hiſtoriographi titulo familiaris, à Poetę obitu non adeò remotus, quin plurima de ipſo ex fide conſignare potuerit. Quem deinde ſecutus non infeliciori conatu Xicho Polentonus Vergerij coæuus. Hi tamen nondum typis vulgati. Hunc apud D. Gaffarellum videre licuit ad calcem Poematum Etruſcorũ, quæ in membranis ſcripta Anno 1463 cui planè ſimilis in Muſeo Viri Spectabilis Ioannis Reinſt Amſterodamenſis, cuius humanitate ad me traſmiſſus. Eſt & alter in Bibliol. S. Ioa: in Viridario Patauij apud Petrarchæ opera. Etſi verò prior Polentoni nomen nõ præſeferat, Auctorem tamen hunc eſſe confirmat ſtylus, & frequens Ciceronis mentio, quem vt Grammaticus mirè colebat. Atque hos deinde imitati fuerunt Leonardus Aretinus elegantiſs. Polyhiſtor, omnium verò prolixiſſimè Hieronymus Squarciaficus Alexandrinus Petrarchę vitam Petro Contareno Venetiarum Principi nuncupatam pertexuit: quæ Petrarchę operibus editionis Venetæ & Baſilienſis prefixa. Qui etiam in Poemata Etruſca Auctoris noſtri cum alijs Etruſcorum carminum Commentatoribus Venetijs 1508. fol. & 4 edita, non pauca adnotauit.

Idiomate autem Etruſco per varia ſæcula non modò Vitam Poetæ poſteris traddiderunt, ſed varia quoque eius Poemata pro virili enodarunt, Antonius Tempus Iudex Patauinus pręter Poetæ vitam, in gratiam Alberti Scaligeri Commentaria in Poemata conſcripſit, Inuictiſſimo Federico Marchioni Mantuæ dicata. Franciſcus quoque Philelphus Orator inſignis Inuictiſſimo Principi Philippo Marię Anglo Duci Mediolanenſi in explicando

Poe-

Poeta ingenium probauit, non tamen ſine cenſurę acrimonia. Triumphos à ſe illuſtratos Borſio Eſtenſi Duci ſacrauit Bernardus Ilicinius, Medicinę ac Philoſophiæ Doctor. Quam veluti expoſitionum trigam euulgauit Nicolaus Perãzonus alias Riccius Marcheſianus ex Typographia Bartholomęi de Zamaria de Porteſe Venetijs 1508 xv. Februarij; folio & Gregorij de Gregorijs eodẽ loco, & Anno die xx. Nouembris, in 4. Bernardinus Danielus etiam Lucenſis hanc prouinciam ſuſcepit, & Fauſtus Longianus, maximoquè veritatis ſtudio Alexander Vellutellus, quem non piguit, Auinionem, & Vallem Clauſam bis accuratè perluſtrare, vt Poetæ, & Lauræ virtutes dignè aſſereret, & germanum diuino Poemati ſenſum adſtrueret. Nec minorem operam Petrarchæ præſtitit Ludouicus Caſteluetrus eruditis notus. Potiori autem iudicio Andreas Geſualdus hic omne punctum tuliſſe videtur. Sed præter Italos Ciſalpinis in hac arena aliquid tentare placuit. Quos inter nobis innotuit Papinius Maſſonius Gallus celeberrimi nominis IC. qui Dantis Petrarchę, & Boccatij vitas iunctim emiſit Lutetię Pariſiorum Anno 1587. 8. At ne quicquam ad Vatis noſtri ſplendorem deſiderari poſſet, optandum erat, vt in lucem veniſſet eruditis laudatus in expoſitione Petrarchę Sartorij Quadrimeni Coſentini labor eximius, cuius Commentarium MS. à Franciſco de Caſtro in Hiſpaniã tranſportatum àccepi literis V. C. Leonis Allatij in omni curioſa literatura verſatiſſimi quidẽ ad me humaniſſimè miſſis. Ricardum Ricardi refert Taſſonus Com. in Vatem noſtrum meditatum fuiſſe. Nuper cum luſtraremus Bibliothecas Patauinas etiam ex Indice operum M.

Man-

Mantuę IC. ipsum expositionem Petrarchę literis consignasse deprehendimus, quæ fortassis eadem cum ea, quæ Patauij apud Laurentium Pasquatum Anno 1566 in 4. edita sine Auctoris nomine, lingua Italica adiectis I.C. sententijs hoc titulo: *Annotationi breuissime soura le Rime di F.P.* Franciscus Vidua Patauinus Philosophus eximius Pandectarum Interpres in patrio Lyceo Odē Etruscam

Quel c'hà nostra natura in se più degno,

Cum Petrarchę Poematibus à Ioan: Griffio Venetijs Anno 1554 editam, & postea insertam editioni Basilienśi à nemine antea expositam eleganti commento illustrauit. Hanc Paulus Tomasinus I.C. Frater meus Amantissimus ipsius discipulus legisse sępe mihi se testatus est in Autographo meditationū Etruscarum Auctoris. Suis quoq; literis pridem monuit Eximius Vir Alexander Gallus Massæ Episcopus Com. Anonymi vberrimum esse in sua Bibliotheca. Accepimus etiam apud Iacobū Gaddium seruari Innominati scriptoris meditationes eruditas in Triūphos; nec non Iacobi Poggij Annotationes in triumphum Famæ. Hi quidem Poetę nostro studiosè facem prætulerunt. Non tamen alijs summi ingenij viris etiam citerioris meditationis ansam prępripuere. Testis mihi Petrus Bembus eminentissimus ingenio & eloquio Princeps. Testes è multis Io: Baptista Castiglioneus qui difficiliores versus Petrarchę cxposuit, Fabricius Storni, Ludouicus Dulcis, Frācisćus Alumnus, Iulius Camillus, Hieronymus Ruscellus, Lucas Antonius Ridulphus. Mitto alios Etrusci idiomatis vindices, cętero sq; numero fere innumeros, qui partim recitationibus Academicis Italię receptis, partim meditationibus priuatis Petrarchæ illustrando symbolam contulerunt. VIN-

VINDICIAE TVTELARES.

Cap. IX.

RES propè conuiuæ mihi dissentire videntur, ait Poeta. Neque enim omnibus idem cupediarum sapor. Quid mirum, si nec omnibus noster hic placuerit Vates? Ea nempè est iudiciorum in scena literaria Libertas, vt quod cuique sapiat, id probet. Adeò verum lepidissimi Poetæ illud:

Pro captu Lectoris habent sua fata libelli.

Expertus idem Petrarcha, diuerso quidem fato exceptus, minus tamen iniquo. Dum enim in ipsum alij stylum sumere videntur, tantum abest, vt eius famę officiant, quin studeant: Primus in hoc censu nobis occurrit sanguine & literis Princeps Picus Mirandulanus, qui suam ad Laurentium Mediceum Ducem Epistola Lectori parum attento prima fronte nescio quid non Petrarchę videtur detrahere. At enim accuratius eius mentem dū expendo, ita multa Poetico Principis ingenio tribuit, vt nec suam Petrarchę laudem neget. Mirandulanum nunc quæso audiamus. *Sunt apud vos duo præcipuè celebrati Poetæ Florentinæ linguæ, Franciscus Petrarcha, & Dantes Aligerius, de quibus illud in vniuersum sim præfatus, esse ex eruditis,*

tis, qui res in Francisco, verba in Dante desiderent. Et paulò post: *Franciscus quidem si reuiuiscat, quod attinet ad sensus, quis dubitet vltrò herbam tibi daturum, adeò tu & acutus semper grauis & subtilis, ille verò de medio arripiens sententias colorat verbis, & quæ sunt gregaria egregia facit genere dicendi*. Verum horum magnam partem ex aliena eruditorum mente prolatam nemo mecum negabit, credo; pleraque etiam imo omnia ferè ex nimio animi studio, ex modo allatis planum est. Sed leuiora hęc sunt tela, & potius ab effusa in amicum benignitate, quam culpandi animo emissa. Vehementiora sunt quibus petitur hic noster, quæ num rectè colliment, porro dispiciendum. Eiusmodi ex Tassonis theca prodierunt quamplurima, licet id certamen verius ad ingenij lusum, quam animi sententiam, susceptum arbitrer. Et quidni hanc Polyhistori Critico concedamus ingenij libertatem, cui, vt apertè testatur ipse, non animus erat, Vatem nostrum perstringere, sed ineptam multorum cogitationibus de pressa Petrarchę imitatione pertinaciam eximere, quin Poetam ab aliorum calumnijs vindicare, eiquè lucem afferre? Id ipsum etiam peculiari libello expressius tentauit Mutius minori quàm par erat modestia. Verum huius farinę alia ijs remittamus, qui hanc sibi litem sumentes omnes verbor ũ & vocum quisquilias operosè secernere satagerunt. Tassoni multorum iudicio vberrimè satisfecit Iosephus Aromatarius medendi dexteritate apud Venetos celebris, ab amænioribus literis, quantum permittit negotiorum moles, non alienus. Eodem cum cęteris loco habendum Curij Lanceloti iudicium de Petrarcha nimis scrupulosum, quãdo ipsum non inter Auctores, sed Eruditos

ditos reponendum censet Lib. II. Obseruationum Gram. cap. 59. ductus fortassis ea opinione, quod Lib. eiusdem Cap. 34. Auctoris nomine dumtaxat dignum putet eum cuius exemplar sequitur eruditorum consensus. Hæc autem eiusquè generis leuiuscula suis relinquamus Auctoribus. Notum enim quàm omni æuo Poetæ Etrusci Vatis nostri ideam sibi imitandam proposuerint. Tantum verò abest, vt Nicolai Franchi sarcasmis & inanijs respondeamus, sortem eius miserati, qui linguæ mordacitate cum ingenij amœnitatem inquinasset sibimet triste fatum accelerauit. Ita dignum tulit misellus suę procacitatis præmium. Quanto æquius fuisset quędam in nostro Poeta humanitus agnoscere, ijsquè ignoscere? Prudentię plenum est Horatianum illud,

Quandoque bonus dormitat Homerus.

Vrgentioribus longè telis peti videntur Poetę Vita, moresquè, quibuscum si comparetur eruditio, nullum est vel exiguum inde famę discrimen. Obijciunt multi, quod in Medicos aeriùs violentiusquè stylum strinxerit, medicam facultatem veluti probris lacessitam iniuria perenni violarit, cum ea à Sanctissimis Viris, nec modo doctissimis, Reip. esse salutaris, ac summè necessaria iudicetur. Addunt quod nimis æui sui mores insectatus fuerit, quod perpetuis itineribus, delicijs, & amoribus citra quam Viro ciuili & Philosopho conueniebat, vitam transegerit. Hęc quam futilia, paucis dispiciemus. Ac ne longius abeam, en Poetam pro semetipso causam dicentem in Proemio Inuectiuarum contra Medicum.

Quamuis in otio, in solitudine mea essem, ille tamen vrbicus virgator, nec solitudini, nec otio meo parcens, nec ipsam locorum

faciem veneratus, cui diuinum nescio quid inesse ipse si videas non neges in illis, vt propriè mihi videor dicturus, Pierijs penetralibus latitantem, conuitijs aggressus exciuit, in alijs longè, inquam alijs consopitum curis, & hanc quam in me miraris insuetam artem docuit vel inuitum: & inferius veniam petit. *Si quid contra morem suum dixerim. Ego quidem non artificium, sed artifices improbaui, eosque non omnes, sed procaces, atque discordes.* Quis, nisi planè ineptus, Poetam dicacitatis vlterius insimulabit? Non probos ac peritos Medicos incusat, nec artis certitudinem, sed Thessalos compendio viribus maiora polliciti, de quibus meritò extrema hæc verba effudit Adrianus: *Turba Medicorum pereo.* Quod ipsum ne Clementi VI. Pont. Max. contingeret, consilium de Medicorum delectu suggerere voluit. Nec alium ei fuisse animum, ex ipsius ad Sum. Pont. Epistola luce meridiana clarius est. Quod mores sui seculi culpa uerit, in eo boni, & eruditi viri officium peregit. Morbi enim agnitio sanitatis initium est. Et si alicubi vehementior videtur, pro semetipso causam dicit Lib. II. Epistolarum Senil. ad Franciscum Brunum Pont. Maximi Secretarium, vbi fatetur se non homines, sed vitia hominum insectari. Nec sine veterum Sapientum exemplo peregrinationibus magnam vitę partem insumpsit, vt patriam spontaneo virtutis causa exilio postponeret. Pulchrum nempe moueri cum vniuerso, & patria quam calcamus mundus est, qui licet vastissimus vix ipsius gloriæ sufficiebat. Quæ verò eius fuerint deliciæ, qui amores, suo loco cuilibet obuium erit. Nec plura addo; quandoquidem nullum aduersus calumnias scutum innocentia tutius. Qua ipse fisus sic magno ad Franciscum Bru-

num

num animo : *Noli precor indignari , noli obniti, noli operam perdere, hoſtes vbi quæſieris, nec eoſdem mihi adeo dempſeris , ſed irritaueris amplius atque flammaueris : fatalis hæc mihi , ſi dici fas & antiqua eſt peſtis . Multi de me indicant , quos nec noui , nec noſcere quidem volui , nec noſci dignos arbitror* . Et paulo poſt : *Neſcio vnde hoc proprium atque affixum , vt ad iudicandum eò quiſque ſit audacior promptiorque , quò indoctior* . Cætera ei à ſciolis obiecta contra Africam Epiſtola I. Lib. I I. Senilium Boccacio inſcripta vberrimè ipſe diluit, ſicuti & maledicis os Libris de Sui & aliorum Ignorantia pleniſſimè obturauit . Nec Magiſtro defuit ſuo patrocinio Boccacius , ad cuius pro Petrarcha Apologiam benignum Lectorem remitto . Sic itaque ſpretis maleuolorum rumoribus pleno gradu ſua virtute ad Honorum culmen ſibi viam fecit .

HONORES, ET INPRIMIS LAVREA EX POESI PARTA.

Cap. X.

VIRTVTVM radij longè lateque coruſcans quo ſuo PETRARCHA literatorum Decus, ac morum exemplar, præclariſſimum virorum Principum animos facili negotio traxit in admirationem ſui. Eandem ob cauſſam, & nos hodie, & omnis literaria Reſpublica, cius in laudes ſe totam effundit. Honores varios, & inſignes ſibi ſponte delatos conſtantiſſimè reſpuit, ſolitudinis, & libertatis amans, ita prorſus, vt cum aulæ Pontificiæ quandoque adfuerit, ab ea tamen magis abfuiſſe mente, & animo, quam eidem adfuiſſe videatur. Equidem flagrauit ſine dubio non mediocri glorię cupiditate PETRARCHA, vt ipſemet nobis eſt teſtis: at eius tantummodo gloriæ, quę ex ſtudio bonarum artium, quę ex virtutibus, quæ ex meritis emanaret. Audiatur ipſe (ſi libet) Præfatione Librorum, quos de Vita Solitaria literis conſignauit: *Id mihi quoquè, ſi vel pro ingenij mediocritate, vel pro non mediocri gloriæ cupiditate (ſi tamen hanc nondum fræno animi ac ratione perdomui) prouidendum eſt, quid primum præſtare nitar, niſi vt ſicuti ego à negotijs, ſic ab ocia*

modo procul abſit inertia, & ſi quid fortè manſurum ſcripſero, his potiſſimum inſcribam, quorum gloriæ quadam velut participatione clareſcere tenebriſque inſiſtere valeam, quas mihi temporum fuſca profunditas, & nominum conſumptrix illuſtrium obliuioſa poſteritas, intentant. Et infra. *Quid multa? perſuaſiſſem forſitan, vt & ſibi, & mihi, & famæ noſtræ parcerent, niſi quia, vt aiunt, iam neque res integra, neque ſilentio liberum eſt latere. Iam noſcimur, legimur, iudicamur, iamque hominum voces euadendi celandique ingenium nulla ſpes, & ſeu producentibus in publicum, ſeu domi ſedentibus, apparendum eſt.* Præcipuus eius honor fuit Laurea Poetica varijs in Vrbibus merito virtutis adepta. Fama ſiquidem virtutum eius toto terrarum orbe diffuſa omnium illi laudes, & plauſus non humilium modo, ſed & Principum alacritate mirabili parere conſueuerat. Mira res, at fama Petrarchæ digna. Vno, & eodem die, duabus à diſiunctiſſimis, & Clariſſimis Vrbibus Roma, & Pariſijs Epiſtolę ea de re ac nuncij venerunt. Pariſijs quidem vir inter Gallos Princeps, & Cancellarius, qui Vniuerſitati ſtudentiũ ea in Vrbe prȩerat: Roma verò Senatores aliquot cum adhortationibus, & precibus, quibus illum ad percipiendam Lauream Poeticam ſuis in Vrbibus euocabant, perinde ac ſi duæ celeberrimæ Vrbis totius terrarum orbis de hoc illi decernendo honore ſecum ipſę certarent. Hȩſit hic ille aliquandiu ancipiti cogitatione diſtractus, nec ad quos tenderet facile dignoſcebat, tum demum Colum nenſium, quos alias Dominos expertus humaniſſimos fuerat, conſilium ſecutus, Romam Pariſijs præferendam duxit, tùm quia Vrbs illa olim Imperatorum ſedes, tùm quia Poetas reliquos ea preſertim in Vrbe decoratos fuiſ

se Laurea non ignorabat. Tradidit hæc de se posteris Petrarcha ea in Epistola, ad quam necesse erit sæpius recurrere. *In illis locis morã trahenti dictu mirabile, vno die, & ab Vrbe Roma Senatus, & de Parisijs Cancellarij Studij ad me literæ peruenerunt, certatim me illæ Romam, illæ Parisios ad percipiendam Lauream Poeticam euocantes, quibus ego iuueniliter gloriabundus, & me dignum iudicans, quo me dignum tanti viri iudicarent, nec meritum meum, sed aliorum librans testimonia parumper tamen hæsitaui, cui potius aurem darem. Super qua consilium Ioannis de Columna Cardinalis supranominati per literas expetijs erat enim adeo vicinus, vt cum sibi serò scripsissem, die altero antè horam tertiam responsum eius acciperem. Cuius consilium secutus Romanæ Vrbis auctoritatem omnibus præferendam statui, & de approbatione consilij eius mea duplex extat Epistola.* Romam igitur profecturus primo Neapolim adijt hic noster, vbi Rex Robertus summis illum honoribus, & variis muneribus exceptum parum abfuit quin ad Lauream accipiendam propè adegisset. Abstinuit tamen, & per Legatos suos, & per Epistolas Senatoribus Romanis ea dignum & illum testatus est. Erant tunc temporis Senatores Vrbis Vrsus Anguillarię Comes, & ex Vrsi filijs Iordanus, qui tanti Regis iudicio freti, ipsũ in Capitolio, summa dudum Romani Imperij arce, magna cum totius Vrbis lętitia, maiorique celebritate Virorum tum nobilitate, tum literis, & virtute præstanrium, qui ad futurę pompę conspectum confluxerant, coronarunt. PETRARCHA igitur pręmissa de more diserto & graui sermone petitione concordibus omnium Senatorum suffragijs Poeta, & Historicus solemniter proclamatus corona Poetica priscorum temporum con-

consuetudine decoratur, ætatis Anno trigesimo septimo Salutis verò CIↃ CCC XLI. idibus Aprilis, quo die Christi ab Interis existentis memoria publice colebatur. Vt mirum sit, Senucium Florentinum, qui Poetæ coætaneus vniuersam Coronationis Historiam ad Canem Scaligerũ minutissimè prosecutus, circa Annos ętatis toto septennio à reliquis probatioris notę scriptoribus differre. Laurea sic redimitus nouus hic Vates per Vrbẽ ad D. Petri Apostoli AEdem frequenti comitatu deducitur, vbi persoluto Numini gratiarum penso, Laureaq; ipsa Templi tholo appensa, magna inde pompa digressum Columnensium suorum ædes, quibus id honoris habitum, excepere. Iuuat ea de re loquentem ipsum iterum audire: *Laureolam mihi Neapolis Rex offerebat, & vt assentirer precibus etiam multis vrgebat. Vicit amor Romæ venerandam tãti Regis instantiam. Itaquè inflexibile propositum meum cernens, literas mihi, & nuncios ad Senatum Romanum dedit, quibus de me iudicium suum magno fauore professus est, quod quidem tunc iudicium regium, & multorum, & meo in primis iudicio consonum fuit; hodie, & ipsius, & mecum, & omnium idẽ sentientium iuditium non probo. Plus in eum valuit amor, & ætatis fauor, quam veri studium. Veni tamen, & quamlibet indignus, tanto tamen fretus fisusque iuditio, summo cum gaudio Romanorum, qui illi solemnitati interesse potuerunt, Lauream Poeticam, adhuc scholasticus rudis, adeptus sum. De quibus etiam, & carmine, & soluta oratione epistolæ meæ sunt. Hæc mihi Laurea scientiæ nihil, plurimum verò quæsiuit inuidiæ.* Epistolæ vero, quarum ibi meminit, duæ cumprimis sunt, vna Roberto Regi Sicilię scripta; altera Barbato Sulmonensi, cuius initium dabo: *Idibus Aprilis Anno*

ætatis huius vltimæ M CCC XLI. in Capitolio Romano, magna populi frequentia, & ingenti gaudio peractum est, quod nudius tertius de me Rex apud Neapolī decreuerat. Vrsus Anguillariæ Comes, ac Senator prealti Vir ingenij, regio iudicio probatum laureis frondibus insigniuit. Manus regia defuit, sed non auctoritas nec maiestas,

Ioannes Nauclerus Chronographus Generatione LXV. Vol. I. celebritatem istam attigit, sed annum eius male produxit. Quod enim Anno 1341. peractum ex dictis constat, retraxit ille ad Annum 1338. Scripsit ille scilicet in hęc verba. *Anno Domini* 1338. *cum iam Pontifex Senatui, populoque Romano persuasisset, vt Senatoriam dignitatem suis, & Ecclesiæ auspicijs administrarent, & Stephanum Columnensem postea ad se Auinionem vocasset, Vrsus Anguillariæ Comes, Stephani Columnensi Collega* FRANCISCVM PETRARCHAM *virum Eloquentissimum, maximè autem rythmis vulgaribus corona Poetica in Capitolio donauit.* Diuersum nihilominus Paulo Iouio placuit. Eum nempe (quæ ipsius verba sunt) *ex latina Africa, vnde ei in Capitolio insignis Laurea præmium fuit, certiorem & nobiliorem gloriam adsecutum.* Cui etsi non magnopere refrager, quandoquidem hoc veritati magis consonum videtur. Poetam tamen Musis Etruscis primum famę gradum debere, nemo rerum vel mediocriter peritus negabit, credo. Mitto de hac Laurea illustres satis Ioannis Boccacij Elogium ad Hugonem Regem Cypri, superius adductum, vbi de FRANCISCI operibus disseruimus. Verùm enimuerò non aliunde magis Laureæ huius pręstantia factique totius vera series, vna cum FRANCISCI nostri gloria, magis elucet, quàm ex Priuilegio supra ea re

confe-

confecto. Ne autem quid exactæ Lectoris notitię desit, ne ve prolixa aliunde perquisitione animus hinc abducatur, illud ex Editione Basilienſi integre huc transferre, mihi operę visum fuit. Idque ad primę Editionis Venetę Anni 1501. fidem cum Basilienſem varijs mendis ſcatere viderim, quas hic ſuſtuli. Vnus certè error hic minimè silendus, quo Anno 1344 huic ſolemnitati aſcribitur contra expreſſa Poetę verba, quæ huic editioni alias ſuo loco ſincerè inſerta iam pridem patefeci. Tu, mi Lector, quæ fuerit vniuerſi de noſtro Poeta Populi Romani ęſtimatio hinc diſpice.

PRIVILEGII LAVREAE RECEPTAE A FRANCISCO PETRARCHA EXEMPLAR.

VRSVS *Comes Anguillariæ, & Iordanus de filijs Vrſi miles almæ Vrbis Romæ Senatores. Ad perpetuam rei memoriam Vniuerſis ad quos præſentes peruenerint literæ. Cum ſic conſtamus ex anima, & corpore, ſic duplex quærendæ gloriæ via ſit aperta mortalibus. Quarum altera mentis, altera corporis viribus peragenda eſt: vtriuſque rei principatum Omnipotens Deus in hac glorioſiſſima Vrbe conſtituit ab æterno. Ex quo quidem innumerabiles olim tam ingenij, quam bellicis artibus memorandos hæc eadem Vrbs aut ipſa genuit, aut alibi genitos erudiuit, aluit, illuſtrauit. Inter multa nimirum quæ animi viribus geruntur, vt ad præſens de corporis actibus taceamus florentiſſimi atque laude omni digniſſimi quondam in noſtra Rep. i Hiſtorici ac præcipuè Poetæ maxime viguerunt. Quorum ndustria ac labore tam ſibi ipſis, quam alijs claris Viris*

quos dignabantur nobilitare, carminibus nominis immortalitas quærebatur. Horum inprimis opera effectum, vt conditorum huius Vrbis & Imperij atque aliorum omnis ætatis virorum illustrium vitam, & mores, ac nomina teneamus, quæ nullis locis per tot seculorũ lapsum ad nos potuerãt peruenire. Sanè sicut Poetarum, & Historicorum copia multis glorioſæ & diuinæ gloriæ causa fuit, sic eorum defectum tracta temporis posteà succedentis multis alijs ad æternitatem nominis indignas obliuionis tenebras non dubium attulisse. Hinc sæpe contingit, vt laudes eorum hominũ, qui nobiscum vixerunt ignorantes, mira res dictu, vetustissimorum certam notitiam habeamus. Et Poetæ quidem præteriti gloria temporis pariter illustres sunt, & futuri, quoniam vt diximus immortalitatem & sibi & alijs quærebãt, ac præter honores, & priuilegia, quibus publicè donabantur, pro præmio quondam & studiorum proprio ornamento Coronam Lauream merebantur. Tanto enim honore dignos censuit Respublica, vt vnum atque idem Laureæ decus assignandum censeret Cæsaribus & Poetis. Siquidem & Cæsares Ducesque Victores post labores bellorum, & Poetas post labores studiorũ Lauro insignibant, per æternam viriditatem arboris illius æternitatem tam bello, quam ingenio, quæsitæ gloriæ dignantes, atque ob illum inprimis, qui sicut hanc arborem Deus solam non fulminat: sic creditur Cæsarum & Poetarum gloriam illam, quæ more fulminis cuncta prosternit, solam vetustatẽ non timere. Hoc nempe poeticum decus ætate nostra, quod dolentes referimus, incertum qua seu ingeniorum tarditate, seu temporum malitia, vsque adeo oblitum esse videmus, vt etiam quod per ipsum Poetæ nomen importetur pænè incognitum nostris hominibus habeatur, opinantibus multis Poetæ officium nil esse aliud, quam fingere seu mentiri quod si ita esset, prorsus: & leuis res, & omni

ni honore indignum dedecus videretur. Ignorant autem Poetæ officium, ſicut ab eruditiſsimis & ſapientiſsimis viris accepimus, in hoc eſſe virtutem rei ſub amœnis coloribus abſconditam & decoram, velut figmentorum vmbram contentam, altiſonis celebratã carminibus, & dulcis eloquij ſuauitate reſpergat, quæ ſit quæſitu difficilior, magis atque inuenta dulceſcat. Sanè aut Poetas egregios in morem triumphantium accepimus in Capitolio coronari, vſque adeo & in deſuetudinem Nobis abijt illa ſolennitas, vt iam a mille trecentis annis nullum ibi legamus tali honore decoratum. Quod excogitans ingenioſus Vir, & talium ſtudiorum ab adoleſcentia ſcrutator ardentiſsimus FRANCISCVS PETRARCHA *Florentinus Poeta, & Hiſtoricus, præſertim tempore præſenti ſcientiæ ſuccurrendum ratus, quo neglecta magis erat ab hominibus, & deſerta poſt auctorum volumina diligenti primũ indagine non incognita, relicta deinde poſt propria proprij ingenij opera Hiſtoriarum præcipue & Poematum, quorum partem adhuc habet in manibus honeſto Laureæ flagrans deſiderio, non tam propter gloriam ſicut idem in noſtra, & Populi Romani præſentia profeſſus eſt, quam vt ad ſimile deſiderium ſtudiorum omnium animos irritaret: quamuis ad hunc ipſius honorem alibi ſuſcipiendum, Studijs atque Vrbibus euocatus. Tractus tamen memoria antiquorum Poetarum, nec non affectu & reuerentia huius Sacroſanctæ Vrbis, cuius eum ſemper fuiſſe conſtat feruentiſsimum amatorem, poſthabitis aliorum precibus decreuit hùc potiſsimũ, vbi Laureatos eſſe meminerat ante eum, ſe conferre, & ne ſuper hoc ſuæ forſitã præſumptioni confiſus videretur, ſtatuit de ſeipſo alteri credere potius, quam ſibi, ideoque circũſpiciens, nec vllum in toto Orbe reperiens digniorem, ad Sereniſsimum Robertum Hieruſalem ac Siciliæ Regem Illuſtriſsimum de Roma-*

na Curia digressus, quæ in Auinione nunc residet, vsque Neapolim personaliter accessit. Itaque illius tanti Regis omnium scientiarum fulgoribus abundantissimè radiantis sese subiecit examini, ex cunctis mortalibus illum præferens, qui intra omnes dignissimus visus est: maturo sanè consilio & tanto iudicio, vt probatus posset à nemine reprobari. Cum itaque Rex idem audito eo atque operum eius parte prospecta, dignum profectò tali honore iudicasset, ac super eius sufficientia cum suo sigillo testimoniales Nobis Literas, & eius fide dignos Nuncios destinasset, eodemq; idem FRANCISCVS pleno Capitolio Laureum Poeticum solenniter postulasset, Nos regio testimonio, & famæ publicæ, quæ eidem de eo multa proloquuta, erat, sed multo magis operum euidentia certissimam fidem reddentes, præfatum FRANCISCVM hodierno videlicet solennitatis Paschalis die, in Capitolio Romano Lectorum celeberimo tam dicti Regis, quam nostri & populi Ro. nomine magnũ Poetam & Historicum declaramus, preclaro magisterij nomine insignimus & in signum specialiter poesis, NOS VRSVS COMES ET SENATOR præfatus pro nobis, & collega nostro, Coronam Lauream nostris manibus eius capiti impressimus, dantes eidem tã in dicta arte poetica, quam in dicta historica arte, atque in omnibus spectantibus ad eiusdem auctoritatẽ præfati domini Regis S.P.Q.R. tam in hanc Sanctissimam Vrbem (quam omnium Vrbium & terrarũ caput esse non ambigitur & magistra) quam alibicunque locorum legendi disputandi atque interpretandi veterum scripturas, & nouas, à seipso omnibus seculis auxiliante Deo, & mansuros libros, & poemata componendi, liberam tenore præsentium potestatem, necnon & vbi & quotiens sibi placuerit, possit huiusmodi, atque alios actus poeticos Laurea, seu myrto, vel hedera, si id genus elegerit, coronare, & in

actu

actu atque habitu quolibet poetico, publicè & solenniter exercere. Ad hæc conscripta, per eũ hactenus velut per hominem in talibus expertum in his scriptis approbamus. Reliqua vero, quæ scripturum eum contigerit inposterum, ex quo ab eodem promulgata in lucem edita fuerint simili ratione approbanda censemus decernentes eum hìsdem Priuilegijs, Immunitatibus, Honoribus, & Insignibus perfrui debere, quibus hic vel vsque terrarum vti possunt, vel posse sunt soliti Liberalium & honestarũ Artium Professores: eoque magis, quod professionis suæ raritas vberioribus eius fauoribus, & ampliori beneficio eum dignum facit. Insuper eundem FRANCISCVM PETRARCHAM, *propter insignes sui ingenij dotes, ac propter notissimam deuotionẽ, qua ad hanc Vrbem nostramque Remp. afficì, & communis omnium fama, & actus eius, & verba testantur, Ciuem Romanum facimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, ipsum & veteribus & nouis Ciuium priuilegijs, ac nomine decorantes: de quibus omnibus, & singulis interrogatus Populus Romanus solenniter, vt mos est (nemine protinus aduersante) placere sibi omnia acclamando respondit. In quorum testimonium præsentes literas, vtriusq; substãtiæ Senatus subscriptione & nostræ aureæ bullæ sibi concedi iussimus appensione munitas. Datum in Capitolio præsentibus Nobis, & tam alienigenarum quam Romanorum Procerum, ac Populi multitudine numerosa, Quinto idus Aprilis Anno Domini M CCC XLI.*

Præclarum sanè tam rarę virtutis pretium, non tamen nudis (vt credi posset) verbis expressum, sed quingentis numis aureis & vniuerso pompæ apparatu Po. Ro. liberalitate auctum: Cui Senator eiusdem valoris Pyropum addidit, Sanucio teste oculato, qui vniuersam historię seriem minutissimè persecutus.

Prę-

Præter Lauream, diuersis etiam honoribus variè cumulatus est. Inter multos Parmẽsis Ecclesię Archidiaconatum à Corrigiensibus delatum obtinuit, inibiq; coempta domo aliquandiu vixit, vt ipsemet testatum alicubi reliquit. Demum cum Iacobus Carrariensis Paduæ Dominus per literas eum ad se & amicitiam suam pertrahere conaretur, votis eius obtemperãs Patauiũ se recepit, vbi à Iacobo obuijs, quod aiunt, vlnis exceptus, Canonicatum Cathedralis Ecclesiæ Patauinæ opulentissimum retulit. Honor postea honore auctus in dies creuit. Nimirum Mediolani apud Galeacium Vicecomitem Consiliarij titulo honestatus, pro Duce Oratoris munere apud Serenis. Senatum Venetum & alios Principes feliciter functus, multis magnisque honoribus locupletatus, in nuptijs Violanti Leonello Regis Britannię filio desponsatę Anno 1368. Bernardino Corio teste, Principibus accubuit. Venetias etiam ludis publicis & alibi Sereniſſimo Duci dexteram clausit. Summis quoque Pontificibus varios tum honores, tum magistratus in eum conferre placuit. Quorum fauore electus Pontificię Sedis Vicarius, & à Clemente VI. Sum. Pont. ad Episcopatum aliquoties excitus id oneris libertatis amore & otij literarij studio declinauit, actisque gratijs ad consuetam solitudinem se recepit. Sic enim in Epistola 43. Variarum ad Franc. Brunum: *Postquam me sæpe licet indignum, Episcopum facere voluisset, & ego indignantibus Dominis & amicis cõtinuè recusassem, vltimo mihi dixit. Pete quod vis, & faciam tibi. Cui ego respondi. Si bene facere mihi vultis, non solum beneficientia, sed electio Pater Sanctissime vestra sit. Vos scitis optimè quanti me facitis quando aliquid præsente alio vel*

quo-

quomodolibet ad notitiã vestram uenit, quod me dignum videatur, mei (si placet) memoriam habetote. Et Lib. IX. Seniliũ in hunc sensum alia. Nec tantum Viri Principes, sed & Ciuitates & Respublicæ immortalitati nominis eius monumenta innumera certatim contulerunt. Prętereo memoratos alibi honores Aretij exhibitos. Quid de Florentina Republica dicam? quę Ciuem suum pręclarissimum semper coluit, imo nec petenti, nec speranti, redeundi ad paternam sedẽ potestatem dedit, & eidem, quæ in fiscum intulerat, patris eius bona restituit. Ad quam Patauio VIII. Id. Aprilis Epistolam illam pulcherrimam scripsit. *Iam satis me vixisse arbitror Optimi Ciues, & illam sapientis amici vocem audire videor. Morere dum lætus es.* At ille sat habuit vidisse patriam, & amicitiam cum Boccacio Florentiæ contraxisse. Habet enim hoc proprium Virtus, vt in amorem sui bonos erigat, in stuporem malos, idque cum omnis virtus habeat, tum præcipue fortitudo Petrarchæ propria. Cuius inter fortunæ turbines, ac procellas rerum terribilium, & tranquillitas gratior & lux ipsa conspectior est. Romana porrò ciuitas quid eius in honorẽ præstare potuit amplius eo quod gessit? Quin etiam Principibus Italiæ pacem conciliaturus Padum fluuium armis infestum sibi inuenit pacatissimum, ab vtraq; dissidentium parte Legatario honorificè exceptus. Patauinam Vrbem non silebo, quæ cum viuentem vnicè dilexisset, defuncti funus vniuersa ferè suis effusa sedibus atrata Arquadam vsque extremo pietatis officio persecuta est.

NE-

NECESSTVDO CVM LITERATIS.

Cap. XII.

AMICIS conciliandis vim magnam Virtutis quotidie experimur. Ea enim nihil amabilius, nihil quod magis in sui amorem alliciat, cum propter virtutem & probitatem etiam nunquam visos diligamus. Vincit omnem naturæ cognitionem similitudo bonorum, nullaque societas gratior, nulla charior, quàm cum viri boni moribus similes sunt familiaritate coniuncti. Ita Petrarchæ mores amæni, virtus admirabilis, amicitiæ fœdus suauissimum cum Eruditis, & Amicis peperit, vt sua ætate iure merito delicium Amicitię, nectar Amoris diceretur. Iam ille Principum amicitię vt libertati aduersæ, amicorum dulcem præferebat conuersationem, tanto affectu, vt vix sine amicis vnquam mensæ accumberet, gratulatus sibi quoties epulis inexspectatus amicorum quispiam interueniret, vt amicis stipatus veluti laurę triũpho summè lętaretur. Vnde lautiori quoque mensa & decenti familia nunquam domus eius destituebatur. Neq; id commessationum studio, sed quòd nihil ei optabilius, nil gratius, nil iucundius, quam amicos colere, amplecti, inuisere, pro eisdem omni cura aliquid agere, laborare,

rare, & omnia ſua ipſorum commodis poſtponere, etiam valetudinem, dum æſtate cum meridiaretur à ſuis excitari voluit, quoties visũ veniret aliquis. Sic enim ad Poſteritatẽ ipſe: *Amicitiarum appetẽtiſs. & fideliſs. cultor honeſtarũ fui, intrepidè glorior, quia ſcio me verũ loqui.* Vnicus inſuper ad mutui amoris conſeruationẽ ipſi conatus erat amicitias procurare. Cuius argumentũ inter Socratem & Lęlium Epiſt. V. Lib. Famil. XII. celebratum: *Benedicti Vos à Domino, qui & vobis digniſsimam rem feciſtis, & mihi gaudium quantum abundè præberi non poterat præbuiſtis.* Nec ſanè vulgaris conſtantiæ exemplum Amicum Franciſcum Brunum ita Summo Pontifici commendauit, vt in eorum numerum fuerit acceptus, qui ei à ſecretis fuere. Cuius beneficij, nec ingrata fuit apud amicum memoria, nec vanus Poetæ labor. Hinc enim Summo Pontifici innoteſcebant quæcumq; à Petrarcha in familiam', in ſtudia, in cætera, deſiderari poſſent. Quæ quam numeroſa fuerint, prolixa ipſiuſmet narratione ex Epiſtolarum Variarũ XLIII Arquadę ſcripta veluti totius Oeconomiæ ipſius ideam exhibente hic ſubdere à noſtro inſtituto neutiquam viſum mihi fuit alienum: *Ego frater ſi quid mihi ad vitam vnius canonici deeſſe dicam, mentiar, ſed ſi dixero, me plures habere notos, & plura inde grauamina quã totum ferè capitulum, cuius ego pars ſum, forſitan non mentiar. Quæ an declinare vllu arte valeam ignoro. Sæpe certè tentanti, nunquam hactenus ſucceſsit. Vnde mihi non exiguus vitæ labor, & quamuis glorioſa, tamen haud dubiè tædioſa perplexitas. Si quæras, num quod reſtat tranſire poſsim, vt nunc vſque tranſiui, poſsum planè, ſed haud quaquam facilius quam olim, imò verò difficiliùs, quod ad ſarcinas in dies augetur, & vires*

minuuntur. Habeo hic præbendam, quæ mihi panem & vinum dat, non solum ad vtendum, sed etiam ad vendendum. Residentia aliquid mihi valeret, sed ego vrbes, vti ergastula, fugio, & magis eligo solitario in rure, si oporteat esurire, quam in vrbibus abundare, quamuis nulla fuga, nullæ me latebræ, à concursu protegant, habeo famulos, sine quibus vtinam viuere possem, aut scirem. Habeo equos, quando pauciores, duos saltem, & vt sileã quæ sunt historiæ longioris, soleo habere scriptores quinque vel sex, habeo tres ad præsens, erne plures habeam causa est, quia non inueniuntur scriptores, sed pictores, vtinam non inepti. Habeo vnum presbyterum venerabilem virum, qui dum in Ecclesia sum assiduus mecum est, cum quo sæpè, vbi solus prandere disposui, ecce subitò è transuerso conuiuarum acies, vel cibo pascenda, vel fabulis. Vitari enim prorsus nequit, ne vel superbior appaream, vel auarior quam sum. Sed quod omnem fidem excedit, reditus beneficiorum in Amicos contulit. Amicitiæ quoque nexus illi cum Ioa. Boccacio adeo fuit arctus, vt ei meritò conueniret Propertij illud:

Te socium Vitæ, te corporis esse licebit,
Te dominum admitto rebus, Amice meis.

Talis nempè tantusque fuit, vt alter alterius dimidium, imò alter in altero totus existere videretur. Quam ob causã alterũ alterius vultũ in sui annuli gẽmula circumtulisse refert Squarciaficus in illius Vita. Etsi fateri necesse sariò cogar, nequaquàm ei suffragari carmina, quæ producit, vt hoc suum enunciatum firmet, cùm illud non ad Boccacium, sed ad Barbatum Sulmonensem, quem summopere dilexit, Petrarcha referendũ constet, sicut ex versibus videre est tàm in, priscis illius Codd. editis Venetijs MDI. quàm in recentioribus euulgatis Basileę à Sebastiano

ſtiano Henricpetri M D XXCI. Sic enim ille Epiſtolam ante penultimam Lib. II. orſus eſt ad Barbatum laudatũ,

Dulcis Amice vale, tua ſi mihi ſemper imago
It præſens, mecumue ſedet, mecumue quieſcit,
Redde vices, non atra palus Acherontis opaci,
Turbida ſomnifero dirimat nec gurgite Lethe.

Simonidi etiam & Socrati carus & familiaris erat quo ad vixit, ſumma & longa eis neceſſitudine coniunctus. Hinc illi Lib. XV I. *Senilium Epiſt*: Huic Lib. V I I. *Familiarium* nuncupauit. Dilexit etiam Donatum Apennigenam Grammaticum, cui inſcripſit Lib. *De Sui, & aliorum Ignorantia.* Vgotionem de Thienis etiam *Apologiæ contra Gallum* præfixit. Prætereo quo loco habuerit Ioannem de Dondo Patauinum Medicum Cl. cui legauerat ex teſtamento ducatos aureos quinquaginta. Tanti etiam Lombardum Aſericum accerrimum ſolitudinis cultorẽ æſtimauit, vt verè locum hic habeat Scytharum illud de Oreſte & Pylade apud Lucianum:

Dïj Amicitiæ Præſides.

Etſi vero ex Epiſtolis & Carminibus ipſius quos coluerit Amicos non obſcurum fuerit, hi tamen videntur fuiſſe intimi: Ioannes Baſilius, Nicolaus Alſinenſis Siculus, Thomas Meſſanenſis, Ioannes Aretinus & Federicus, Ioãnes Barilis Neapolitanus, Ludouicus Marſilius, Gabriel Zamoræus cauſidicus Parmẽſis, Io. Anchiſeus, Paulus Anibalenſis, Lancellotus Eques Placentinus, Guliel-mus Orator Veronẽſis, & Rainaldus de Libero-Pago Veronenſis Poeta, Andreas Vates Mantuanus, Guidus Archiep. Ianuenſis, Nerius Morandus, Olympius, & Pereus Meſſanenſis. Fuit & Poeta noſter coniunctus Cl.

Viris Iacobo & Brunoni Florentinis, Modio Parmensi, Beneintendio Veneto, Nicolosio Bartholomæi de Luca, Nicolao Magno Sicilię Siniscalco, quem *charum aecus suũ appellat*, Pulici Vicentino Poetæ, Roberto Comiti de Batifolle, Gulielmo Maramauro Equiti Neapolitano, Thomę de Garbo Medico Cl., Gulielmo Rauenãti Physico, Cœnobio Grammatico, Caspаro Veronẽsi, Bartholomęo Eremitę, Raimundo Superantio, Hannibali Tusculanensi, Galeoto Spinelli. Ei quoque in delitijs fuit Eruditus Vir Gulielmus de Pastrẽgo, Frãciscus SS. Apost. Abbas, Senucius, & Arnoldius Florentini, Item Io. Andreas Bononiensis, Florianus Ariminensis Musicus, Bonauentura Bafrus, Marcus, & Bortholomæus Ianuenses, Io. Pergomensis Causidicus, Io. Tricastrinus Episcopus, Sagramorus de Pomerijs, Colutius Stignanus, Matthęus Longus, Lucas de Penna, Ianinus Gram. Placentinus, Philippus de Masserijs, Franciscus Vrsinus, Paulus de Bernardo Venetus, Nicolaus Sigerus, à quo excepit dono Homeri opera, quemadmodum testis est Epist. II. Lib. IX. Famil. *Misisti ad me de Europæ vltimis donum, quo nullum vel te dignius, vel mihi gratius, vel re ipsa nobilius mittere potuisses*. Et alij ferè innumeri, quorum maiorem partem peste Anno 1348. abreptam acerbè fleuit. Inter Clarissimos Ioa. Boccacium, & Lombardum Asericum superstites habuit, Vir ob mutuum animi candorem omniũ amore dignissimus, in quo fidem meruit Poetæ illud:

Multum in amore fides, multum constantia prodest.

EX-

EXISTIMATIO APVD PRINCIPES ET ALIOS.

Cap. XII.

SCIENTIARVM & Artium æstimatio non aliunde maior exoritur, quam ex proba morum & temporum qualitate, non secus, ac aeris temperies frugibus quidquid inest dulcedinis & saporis impertit. Terram prodesse mortalibus emissis à se fructibus molientẽ aeris clementia iuuat, & eandem fertilem reddit, secus inclementia sterilem & immitem: ita felicibus & pacatis temporibus ingenuis artibus plurimum & loci & auctoritatis accedit. Augusti æuum, quod aureum meritò appellamus, indulgentia Principis, qui serenitate sua, vt Rufus ait, mundi tenebras discussérat, ingenia ad supremam claritudinem extulit. Tunc verè latini Orbis sidera, Virgilius, Flaccus, Propertius, Tibullus, Asinius, Messala, noster Liuius, cęterique inclaruerunt. Antoninusq; cognomento Pius ab amore sapientiæ, quam Philosophiam nominamus, non alienus, Aphrodisæum, Galenum, Ptolomęum, Athenęum, Phauorinum, præter alios salutares Orbi Viros, inter salutantes in vestibulo habuit. Erunt Litęrę donec Mecęnates, quę munera bonitatis nunc spar

siua

ſiua manu, nunc remiſſiori ſidere literis elargiũtur, vberius noſtro tempori quam antea vnquam indultura. Habent enim quomodo ſub DOMINICO MOLINO Senatori Veneto ampliſſimo deuię virtutes reparentur; eaſque iam exulantes retinere videtur Eminentiſs. Cardinalis LÆLIVS BISCIA, cuius clypeo fulgens inſomnis draco non Atlantidum ſed Muſarum ſiluas ſua tutela præmunit. Cuius ſileo in me transfuſum nuperæ humanitatis officium, me enim mea merita loqui non ſinunt, niſi quod laudata humanitate Eminentiſſimi Viri gratiam habent, quæ modeſtia mea non niſi ingratè tacerentur; qua ipſe animi propenſione Andream & Ioãnem filium Argolos, Viros fama clariſſimos, Aſcanium Belmiſſerium, & Leonem Allatium, vndequaque celeberrima ingenia fouet primo, deinde quęſito ſplendore tutatus eſt. Sed ne ijs, quæ pręter inſtitutum, diutius immorer, tranquillo inquam ac ſpecioſo otio animus ſolers ſemper & quo ſe exerceat, occaſionem in ea quietam habet, turbido autem ac tumultuario ſęculo opprimitur & torpeſcit. Nempe commercij nihil Muſis, otium adamantibus, cum armorum ſtrepitu, & bellorum turbinibus intercedit. Otia planè fulciunt literas & Poeſim, bella deprimunt, & extinguunt. Ea re pacatis ac ſedatis Italię rebus PETRARCHA veræ elegantię Viridarium aperuiſſe fertur, eoque nomine cultum & amorem Virorum nobilitate & Eruditione Principum meruiſſe. Auinione enim apud Summum Pontificem degens cum omnibus acceptus eſſet, amabatur in primis à IACOBO & IOANNE fratribus de Columna, qui tum eiuſdem in Pontificis curia nobilitate generis, Pręlaturæ excellentia, rerum Ec-

cle-

cleſiaſticarum notitia magni erant. IOANNES enim tum Cardinalis, IACOBVS vero Lomberienſis Epiſcopus, inter cęteros eminebant, quorum à poſtremo in Vaſconiam, quę olim Aquitania dicebatur, ductus, ſub collibus Pyreneis ęſtatem propè cæleſtem, vt ipſemet fatetur, multa & Domini & Comitum iucunditate tranſegit. Regreſſus inde, apud Cardinalem diù, non quaſi ſub domino, ſed ſub patre, vix t, imò teſte Vergerio ferè cum amantiſſimo fratre, domique ſuę coniunctiſſimè vixit. Quantum apud ipſum habebat fidei teſtatus eſt ampliſſimè Cardinalis ipſe, qui familiam Fratrem etiam Agapitum in negotio domeſtico adigens ſacramento, nudis PETRARCHÆ verbis ſe contentum pronunciauit. Pari illum amore STEPHANVS de Columna proſecutus eſt, ipſiuſmet Poetæ teſtimonio, quod apponam.

Ibi ergo iam noſci Ego & familiaritas mea à Magnis Viris expeti ceperat. Cur autem, neſcire nunc me fateor, & mirari: tunc equidem non mirabar, vt qui mihi more ætatis omni honore digniſsimus viderer. Ante alios expetitus fui à Columnenſium clara & generoſa familia, quæ tunc Romanam Curiam frequentabat, dicam melius illuſtrabat, à quibus accitus, & mihi neſcio, an & nunc & tunc certè indebito in honore habitus, ab illuſtri & incomparabili Viro Iacobo de Columna, Lombenſi tunc Epiſcopo, cui neſcio an parem viderim, ſeu viſurus ſim, in Vaſconiam ductus ſub Collibus Pyreneis æſtatem propè cæleſtem multa & domini & Comitum iucunditate tranſegi, vt ſemper tempus illud memorando ſuſpirem. Inde rediens, ſub fratre eius Ioan. de Columna Cardinale multos per annos, non quaſi ſub domino, ſed ſub patre, immo ne id quidem, ſed cum Fratre amantiſsimo, immo mecum, & propria mea in do-

mo

mo fui. Et Epistola II. Lib. V. Famil. ad Ioannem Columnensem. *Gratias ago cum pro alijs multis, tum pro eo, quod quoties Romam peto, totiens vberrimo tuarum literarum fauore præuenior. Agnosco insidias amoris tui, neque enim vt homo, sed vt Angelus excipior*. Mitto huius generis alia, quę passim in Epistolis occurrunt. Philippus Patha Episcopus Cauallienſis, Patriarcha Hierosolymitanus, & S.R.E. Cardinalis etiam affectu Vatis nostri fortunam extollere visus est, cui ille sua Opera *De Solitudine, & Ocio Religiosorum*, incepta in ipsius villa, inscripsit. Eodem animo ipsum pariter prosecuti sunt Philippus Sabinensis, & Bernardus Ruthenensis Cardinales, Talauandus Albanensis Episcopus & Cardinalis Ioan. Olmutiensis Episcopus, & Imperialis Aulę Cancellarius, nec non Ildebrandinus Episcopus Patauinus, quod suis ad ipsos Epistolis & carminibus testatum reliquit Poeta. Vrsus quoque Anguillariæ Comes, vt & Iordanus ex filijs Vrsi, Senatores Vrbis, quiq; Petrarchę Poeticam (vt docuimus) Lauream contulere, singulari in eũdem propensione fuere. Ferebant eum in oculis Nobiles de Corrigia, qui Parmę summo cum imperio præerant, apud quos & aliquando se fuisse ostendit in Epistola, quam ad IOANNEM Columnã Cardinalem dedit. *Hodierno die (quod tibi gaudium quoque significo) ductu, & auspicijs amicorum tuorum de Corrigia Parmam ingressus sum. Hic ergo precibus eorum victus, quibus veniam accessurum ipsi sperant, vt ego non dubito ætatem agere animum induxi. Iurant enim præsentia mea admodum egere, quod indulgentiæ, non necessitatis esse, certum est. Et Ecclesiæ Cathedralis Archidiaconus (vt aliquid illi conferre viderentur) designatus, iam quidem à*

pue-

puero clericalem duxi vitam.

His acceſſit Scaligerorum Veronenſium Deſpotarum familiaritas. Adhæc Vicecomites Galeacius & Luchinus Mediolani Domini, & Guidonus de Gonzaga Mantuæ Patronus Poetam ſummopere dilexerunt. Familiariter etiam eo vtebatur Pandulphus Malateſta. Is Poetę fama motus pictorem miſit in Prouinciam Galliæ, vt eius effigie gauderet, quem nunquam viderat, ſed & Mediolani valetudinarius in Poetę Muſeum adportari voluit, vt virum cerneret inter Muſas verſantem, cuius Iconem denuo erudita manu delineari curauit. Accedit ad fauoris cumulum, quo ille à diuerſis honeſtabatur, cum inter Venetos & Patauinos multa gererentur hoſtiliter, Gaſpar Veronenſis literis promiſit Petrarchæ impunitatẽ incendij, ſi ędibus ſuis nomen ſuum prędigeret. Ac ne Exteros memorem ſolos, fauentem ſibi in primis habuit Iacobum Carrarienſem Iuniorem, qui Paduę Dominium nactus, ſæpe illum ac ſæpius Patauiũ accerſiſſe fertur, cuius voti tandem compos, ſic ad ſe venientem excepit, vt ab illo ſe PETRARCHA non humanè, ſed vt in Cælum recipiuntur animæ, acceptum tradat, decoratuſque eiuſdem opera fuerit ditiſſimo Canonicatu Patauino. Audiamus Poetam ipſum huius inſignis beneuolentiæ teſtem in calce Epiſtol. ſepius memoratæ ad Poſt. *Longum poſt tempus, viri optimi, & cuius neſcio an è numero dominorum quiſquam ſimilis ſuæ ætate vir fuerit, immo vero ſcio, quod nullus* IACOBI *de Carraria Iunioris famæ præconio beneuolentiam adeptus, nũcijs quoque & literis vſque trans Alpes, quando ibi eram, & per Italiam vbicunque fui, multos per annos tantis precibus*

fatigatus sum, & in suam solicitatus amicitiam, vt quamuis de felicibus nil sperarem, decreueram tandem ipsum adire, & videre, quid sibi hæc magni & ignoti Viri tanta vellet instantia: itaque serò quidem Patauium veni, vbi ab illo clarissimæ memoriæ viro, non humanè tantum, sed sicut in Cælum felices animæ recipiuntur, acceptus sum tanto cum gaudio, tamq; inæstimabili charitate ac pietate, vt quia æquare eam verbis posse non spero: silentio opprimenda sit. Inter multa sciens me clericalem vitã à pueritia tenuisse, vt me non sibi solum, sed etiam patriæ arctius astringeret, me Canonicum Paduæ fieri fecit, & ad summam si vita sibi longior fuisset, mihi erroris & itinerum omnium finis erat. Certauit paribus in illum officijs cum Iacobo patre Franciscus filius paternę Virtutis studiosissimus ęmulator.

Quid verò his immoror? Galliæ Reges, Summiq; Pontifices quatuor nempe CLEMENS VI. INNOCENTIVS VI. VRBANVS V. GREGORIVS XI. Petrarcham summo amore prosecuti varijs eundem beneficijs Ecclesiasticis exornarunt. Testatur id ipsemet Epistola retro memorata libri IX Senilium. *Summus Pontifex, nullis meis erga eum meritis, vt cui visus nunquam, & vix fama ambigua notus eram, nullis meis precibus, sed liberalitate, & clementia sua sola prebendulam illam perexiguam quidem, sed locorum mihi vbi à pueritia educatus essem, consideratione gratissimam prio contulit instinctu.* Quin vno eodemque tempore se ab Imperatore & à Francisco Galliarum Rege, necnon à Pontifice Maximo summopere expetitum tradidit Senil. Epistol. ad Simonidem suum Lib. I. *Simul me hinc Romanus Cæsar, hinc Francorum Rex certatim euocant, his promissis hisque muneribus, iam præmissis, quæ si pergam exequi*

qui, & longum erit, & videbitur fabulosum. Mirum prorsus, vnde duobus Principibus armatis, & vnius inermis, & iam senescentis clerici cura est . Nouissimè verùm Summus Pontifex, hic solitus Nigromanticum opinari, & ipse me altis vocibus ad se vocat, duobus iam nunc beneficijs collatis, pluribus si paream oblatis; hic enim vero miri nihil, quoniam causa nota est, vult me ad officium Secretorum, quod Zenobius noster gessit, quodque nec ipse, nec prædecessor vnquam secus habuisset, nisi ego illud oblatum mihi per quam honorificè multos ante annos recusassem . Facti causam reddit ipse Libri dicti Epistol. III. ad Cardinalem Talauandum Episcopum Albanensem : *Video me vocari ad luctam, ad honorem, ad laborem, ferè cunctis optata mortalibus, mihi vero cum in multis nihil conuenit. Proinde nec fortuna mea, nec animus lucri egens, nec professio, vitæque genus honorum talium, neque occupatio, ætasque deuectior laborum. Excusabis me iterum Pontifici, ne quod modestiæ est, insolentiæ tribuatur .*

Bina vero hęc Beneficia fuerunt Canonicatus Caualliẽsis, quem à CLEMENTE VI. Pont. Max. obtinuit, & Archidiaconatus Parmensis, ad quem idem illum Pontifex prouexit, exemitque Ordinarij & Metropolitani Iurisdictioni. Detulit & idem illi Pontifex Curam S. Angeli de Castiglione Aretinæ Diœcesis. Cęterùm iam ante à BENEDICTO XII. Canonicatu Ecclesiæ Lomberiensis donatum fuisse ex scriptis præclarissimi & interregerimi Viri D. Torquati Peroti Episcopi Amerini humanissimè Nobis Roma missis accepimus. Extat, & de singulari Pontificis Maximi erga Petrarcham beneuolentia luculentissimum, pręter alterum superius testimoniũ in Epistolis Famil. Lib. III. ad Thomam Messanensem,

vbi hæc habentur, Epist. XI. *Mitto alia ijs fortasse mirabilia, qui nescirent, quam familiariter olim cunctorum Dominus Augustus Cæsar, Virgilium ciuem suũ dilexerit.* Et paulo inferius: *Quorũ recordatio quantum miraculo adimit, tantum adijcit letitiæ dum talibus exemplis, me misceri sentio, tantæq; laudis mihi aditum aperiri. Quoniam vt alter ex his Cæsareis amicis ait:*

Principibus placuisse Viris, non vltima laus est.

Neque apud Imperatorem CAROLVM IV. inferiori erat loco, vt etiam hisce verbis Lib. XII. Epistol. Famil. VII suæ maiestati Amicum commendare non fuerit veritus. *Testor maiestatem tuam Cæsar, quæ mihi cuiuspiam numinis loco est, virum hunc Cæsareo fauore dignissimum.* Sed in amando PETRARCHA nemini concessisse ROBERTVM Siciliæ Regem eximium literatorum Mæcenatem suo æuo, ex his facile quisque coniecerit, quæ de illo Vates idem transmisit ad posteros in æternitatem omnem. *Neapolim petere institui, & veni ad illum summum Regem, & Philosophum Robertum, non tam regno, quàm literis clariorem, quem vnicum Regem, & scientiæ amicum & virtutis nostra ætas habuit, vt ipse de me, quod sibi visum esset, censeret. A quo qualiter visus, & cui quàm acceptus fuerim, & ipse nunc miror, & tu si noueris Lector, puto miraberc⁊.*

Audita autem aduentus mei causa, mirum in modum exhilaratus est, & iuuenilem cogitans fiduciam, & forsitan cogitans honorem, quem peterem sua gloria non vacare, quod ego eum solum iudicem idoneum è cunctis mortalibus elegissem. Quid multa? Post innumeras verborum collationes, varijs de rebus ostensamque sibi Africam illam meam, qua vsque adeo delectatus est, vt eam sibi inscribi magno pro munere posceret; quod

nec

nec negare potui, certè nec volui, ſuper eo tandem quo veneram, certum mihi deputauit diem, & à meridie ad veſperam me tenuit, & quoniam creſcente materia breue tempus apparuit, duobus proximis diebus idem fuit, ſic triduo excuſſa ignorantia mea, die tertio me dignum Laurea iudicauit. Aſcripſit & illum in Clericum & familiarem ſuum, quod indicio Humaniſſimi & doctiſſimi Viri Alexandri Galli Epiſcopi Maſſæ Magni Iacobi I.C. illius filij debeo, hoc ad me tenore tranſmiſſo.

EXEMPLVM LITERARVM ROBERTI REGIS, quibus FRANCISCVM PETRARCHAM ſibi in Clericum & Familiarem ſuum retinendum ſanxit. Ex Archiuo Regiæ Siclæ Neapol. in Regiſtro Regis ſignato 1340. Litera A. fol. 36. à tergo.

ROBERTVS &c. *Vniuerſis præſentes literas inſpecturis. Feruorem erga Maieſtatem noſtram deuotionis præcipuè ac in Poeticis maximè ſufficientiam, fide dignorum quam plurimorum indicio, ipſaque experientia certius Nobis notam, nec minus alia laudabilis conditionis merita virtutis teſtimonium propenſius confouenda prudentis Viri Magiſtri* FRANCISCI PETRARCHÆ *de Florentia in examine gratæ conſiderationis ducentes, quibus non indignè ſe reddidit uberioris noſtræ proſequutionis capaces; Ipſum in Presbyterũ, & Familiarem noſtrum domeſticum, ac de noſtro hoſpitio duximus de certa noſtra ſcientia, tenore præſentium retinendum. Recepto prius ab eo ſolito in talibus Iuramento; Volentes & expreſsè mandantes, vt illis honoribus, fauoribus, priuilegijs & prærogatiuis alijs potiatur, & gaudeat, quibus cæteri Clerici, & Familiares noſtri domeſtici potiuntur, & gaudent, ac potiri & gaudere ſoliti*

ſunt

sunt & debent . In cuius rei testimonium præsentes literas fieri & pendenti Maiestatis nostræ sigillo iussimus communiri. Datæ Neapoli per Ioannem Grillum de Salerno &c. Anno Domini M CCC XXXXI Die 2. Aprilis IX. Ind. Regnorum nostrorum Anno XXXII feliciter. Amen.

Meruit & affectum Reginæ IOANNAE PRIMÆ, quod aliud eiusdem Archiui scriptum indicat, petitum ex registro IOANNÆ dictę signato 1343 Litera B. Fol. 17.

IOANNA &c. *Tenore præsentium notum facimus Vniuersis earum seriem inspecturis, quod delectabiliter aduertentes specialem prosecutionis affectum, quem claræ memoriæ Inclitus Princeps Dominus Robertus Ierusalem & Siciliæ Rex Illustris Reuerēdus Dominus Auus noster gessit dum viueret, ad prudentem Virum Magistrum Franciscum Petrarcham de Florentia, cum ipsius Domini Aui nostri expectata in opportunum tempus ex deuotionis licentia Poeticæ scientiæ in Vrbe Romana Priscorum venerabili more temporum Laurea insignitum, & alias virtute discretiua uigentem, dignisque meritis præditum, quorum consideratione benigna in domesticum Capellanum siue Clericum suum suggerente, & nihilominus proprio quodam instinctu vberioris caritatis admisit . Et perinde huiusmodi Regia imitatione Auita erga eum conformiter nostræ sinceritatem beneuolentiæ propagantes Ipsum similiter in Cappellanum, seu Clericum nostrum Domesticum, ac de nostro hospitio duximus de certa scientia, & speciali gratia retinendum. Recepto prius ab eo solito in talibus iuramento. Volentes vt illis honoribus, fauoribus, priuilegijs, prærogatiuis & gratijs de cætero potiatur, & gaudeat, quibus cæteri alij Capellani seu Clerici nostri Domestici, ac de nostro hospitio potiuntur*

tur, & gaudent, ac gaudere & potiri soliti sunt & debent. In cuius rei testimonium præsentes literas fieri & pendenti Maiestatis nostræ sigillo iussimus communiri. Datum Neapoli per Adinulfum Cumanum de Neapoli &c. Anno Domini M CCC XLIII Die XXV Nouembris XII Ind. Regnorum nostrorum Anno primo.

Memoria quoque dignum censuit Lib. XII. Epist. Famil. VIII quam gratus fuerit ANNÆ Imperatrici, cui de fœmineo partu ibidem sic gratulatur. *Tuæ Serenitatis Epistolam glorioſissima Augusta lætus, reuerensque suscepi, vbi quid primum mirer? tantamne hac tam iuuenili ætate sapientiam? an eminentissima hac fortuna tam insolitam, & tã raram humanitatem tuam qua me vnum ex pusillis tuis toto penè Orbe disiunctum facundissimo nuntio, & familiarissimis literis gaudij tui participem fieri velle dignata es? Pro quo quidē non Lucinæ, vt olim veræ lucis ignari gentiles, sed Christo lucis & vitæ & bonorum omnium auctori quantum possum tecum gratias ago, qui adolescentiam tuam non tibi tantum, sed toti Imperio votiua fecunditate lætificat.* Sed imponant coronidem huic Capiti de fortuna sibi ob amicitiã Principum assurgente scripta ab eodem in hæc verba, quæ quod huc apprimè faciant, & PETRARCHÆ famam longè clariorem reddãt, describere non grauabor. *Principum ac Regum familiaritatibus, & Nobilium amicitijs, vsq; ad inuidiam fortunatus fui. Sed hoc est supplicium senescentium, vt suorum sæpissimè mortes fleant. Maximi Regum, & meæ ætatis amarunt & coluerunt me, cur autem, nescio, ipsi viderint, & ita cum quibusdam fui, vt ipsi quodammodo mecum essent, & eminentiæ eorum nullum tædium, commoda multa perceperim. Multos tamen eorum, quos valde amabam effugi.*

Va-

Variorum igitur Principum ac Mecęnatum vſus pręſidio ſupra ſęculi ſui ordinem extra futurę ætatis quoque ingenia euaſit PETRARCHA; Columnenſium præcipuè tutus familiaritate, vt ſępius diximus, quorum domus ei Parnaſſus fuit, & Capitolium in triumpho alterũ extitit. Quę COLVMNENSIVM decora nulla vnquã delebit obliuio, de ipſorum quippe humanitate tanti Viri ſcripta luculentiſſima dederunt indicia, ſed inſignis ea Maiorum virtus etiam in poſteros transfuſa adhuc Excellentiſs. D. POMPEI COLVMNAE Gabiorum Principis maximi inter Auos, nunc ornamenti ſumma in eruditos iure veluti hęreditario gratia elucet: nec minus Herois Illuſtriſs. D. CAMILLI eius auunculi reuiuiſcit ex Columnenſibus in literatos humanitas, cùm doctiſſimus ipſe Mecænatis quodam munere & intelligit mirè & adiuuat literas. Abſoluit denique Columnenſiũ erga eruditos patrocinij laudem HIERONYMVS S.R.E. Cardinalis Eminentiſſimus. Petrarchæ igitur dignitas, nominiſque fama adeo increbuit, vt ex diuerſis Galliæ partibus plurimi accederent eius videndi cauſa. Sed quod memoria dignum, cæcus quidem Poeta Peruſinus Põtremoli Grammaticus PETRARCHAM Neapolim ſruſtra conſectatus in varias ſe vertit Italię partes, donec tandem ipſum Parmę offenderet, vbi ſummo tot laborũ ſolatio triduum Vati adhęſit, vixque ab eo auelli potuit, cuius Poemata perpetuo in ore habebat. Hæc apud Principes Vatis noſtri Exiſtimatio, hi apud cęteros Honores, quos vtcumque rudi nos calamo exſecuti ſumus. Verum pennis fama melioribus fęcunda per ora hominũ Poetam circumferens non ſinet Lethæis immergi aquis.

SER.

SER. REIP. VENETAE AFFECTVS IN FIDEM ET OBSEQVIVM POETAE.

Cap. XIII.

NEC foris tantum sed domi etiam Senatoribus Venetis non minus quam Principibus gratus erat *Petrarcha*, plurimis ipsorum summa necessitudine coniunctus: sed precipuè ANDREAE Dandulo literis amęnioribus ornatissimo Duci, nec non MARINO Falerio, IOANNI Gradenico, & LAVRENTIO Celsi, Ducibus huius Ser. Reipublicæ Venetæ longè carissimus, locupletissimo ea de re suarum Epistolarum testimonio, pro quibus & aliorum Epistolæ suffragium ferunt. Hinc sæpius Venetias concedebat, vbi domus eiusdem apud Monasterium S. Sepulchri adhuc visitur, in qua sibi decreto publico per vitam concessa morabatur dum pro Mediolanensibus Ducibus Oratoris munus apud Serenis. Senatum Venetum obiret: eaque postea vsus, quoties recreandi animi gratia, aut inuisendi amicos è Collibus Euganeis, vel ex vrbe Patauina Venetias accederet. Hæc autem Domus familiæ Molinæ de *duabus Tarribus* cognomen retinuerat, quam ædificauerat Henricus pater Andreæ Senatoris Amplissimi, cuius filius Lucas

ætate Squarciafici paternas ædes incoluit. Nec immerito tot honoribus & beneficijs ornabatur, qui Vniuersi Orbis splendor tam prolixè & præclarè de hac Republica secum statuebat, vt non veritus fuerit in quadam ad Summum Pontificem Epistola Lib. IX. Senilium inserta in hęc verba prorumpere: *omnibus* (magnis vrbibus) *opponam vel hanc vnam, vnde hæc tibi scribo, Venetorum vrbem maximam, imo regnum ingens, cui magna olim regna subiecta sunt, vrbem longè dissimilem cæteris, vtque ego dicere soleo, Orbem alterum, quæ tunc nihil, aut minimum fuit, quamuis & Veneti Ducis & Venetiæ, non Vrbis sed prouinciæ, nomen antiquissimum sit*. Et prolixiùs initio Epistolæ II. Libri IV. eiusdem argumenti Petro Rhetori Bononiensi Venetorum ludos describens: *Quod pulchrius, siue quod iustius spectaculum fingi potest, quam iustissimam ciuitatem, non de vicinorum iniurijs, non de simultatibus ciuium, aut rapinis, vt reliquas; sed de sola iustitia gaudentem cernere? Augustissima Venetorum Vrbs, quæ vna hodie libertatis ac pacis, & iustitiæ domus est, vnum bonorum refugium, vnus portus, quem bene viuere cupientium tyrannicis vndique ac bellicis temporibus quassæ rates petant. Vrbs auri diues, sed ditior fama, potens opibus, sed virtute potentior, solidis fundata marmoribus, sed solidiore etiam fundamento ciuilis concordiæ stabilita, salsis cincta fluctibus, sed salsioribus tuta consilijs*. Reliquis verò omissis illud saltem indidem non silebo, quod Petrarcha cùm Anno MCCCLXIV. Ad II Nonas Iunij Archipiscopo Patrensi sui amicissimo associatus hora fermè diei sexta ludos Venetæ iuuentutis spectasset, alia vice à Duce Veneto ad eorundem spectacula inuitaretur. Quem honorem non sine dignis adeo benigni Prin-

cipis

cipis laudibus ſic extulit . *Dux Laurentius verè Celſus , Vir niſi me forſitan amor fallit & magnitudine animi , & ſuauitate morum, & virtutum ſtudio, ſuperque omnia ſingulari pietate atque amore patriæ memorandus, cum immenſo procerum comitatu frontẽ templi ſupra veſtibulum occuparat; vnde marmoreo è ſuggeſtu eſſent cuncta ſub pedibus : Locus eſt, vbi quatuor illi æneí & aurati equi ſtant , antiqui operis, ac præclari, quiſquis ille fuit, artificis, ex alto penè viuis adimentes ac pedibus obſtrepentes, nèue æſtiuus ſol, pronus ad veſperã, aut caſtore offenderet, aut fulgore, diuerſi coloris auleis vſquequaque pendentibus prouiſum erat . Illic ego rogatus, quæ crebra dignatio Ducis eſt, ad dexteram eius ſedi, verum bidui ſpectaculo contentus de reliquo occupationẽ nulli incognitam excuſaui .* Nec ſolis contentus verborum præconijs , vt re ipſa poſteris etiam perpetuum obſequij ac cultus monumentum in Ser. Remp. Venetam ac Diuum Marcum extaret, Bibliothecam ſuam dono obtulit . Quare Patres Ampliſſimi tale Decretum in Petrarchæ memoriam & beneuolentiam Anno 1362 die 1v Septembris retulere, quod ex Sanſouini Lib. I. De rebus Venetis vt repeteretur dignum fuit : *Conſiderando quanto habbi ad eſſer à laude di Dio, e del B. Marco Euangeliſta, & ad honor, & fama, quello ch'è offerto per D. Franceſco Petrarcha, la cui fama hoggi è tanta in tutto il mondo, che non ſi hà in memoria di huomini, che frà Chriſtiani ſia ſtato giamai, ò ſia, vn Filoſofo Morale, & vn Poeta, che gli ſi poſſa paragonare, ſia accettata la ſua oblatione ſecondo la forma della infraſcritta polizza ſcritta di ſua mano . Et ſia preſo, che ſi poſſa ſpendere del Mõte, per la caſa, & habitatione ſua in vita ſua per modo di affitto, ſicome parerà alli Conſiglieri, & Capi, ò alla maggior parte.*

Offerendo li Procuratori della Chiesa di S. Marco, far le spese necessarie per il luogo doue haueranno ad esser riposti, & conseruati i suoi libri. Et il tenore della polizza è questa.

Desidera Francesco Petrarcha di hauer herede il B. Marco Euangelista se cosi piacerà à Christo, & à lui, di non so quanti libretti i quali egli possiede al presente, ò che forse possederà. Con questo che i libri non sieno venduti, ne per qual si voglia modo mal trattati, mà sieno conseruati in alcun luogo da esser deputato à questo effetto, il qual sia sicuro dal fuoco, & dalle pioggie à honor di esso Santo, & à memoria di esso Francesco, & per consolazione, & commodo perpetuo degli ingegnosi, & nobili di questa Città, che si dilетteranno di cose tali. &c.

Egregium certè grati animi studium, quod summos postea viros Cardinales Bessarionem, Hieronymum Alexandrum, & Grimanum, in sui exemplum traxit non minori rei literariæ incremento, quam documento intemeratæ deuotionis in beatam Musarum sedem: quæ toti Italiæ, ne dicam Europæ rarissimos diuersæ notitiæ scriptores manifestauit. Plures autem Petrarcham habuisse Bibliothecas ex ipsis Epistolis constat. Nimirum in Valle Clausa vnam, quam filius custodis domus, dum in Vallem latrones irruerent, translatam in Arcem ab impiorum furore liberauit. Alteram Parmæ, quam sub Italici Parnassi nomine concelebrat: tertiam Veronæ, in qua sub die xxv Ianuarij Anno pestilentiæ memorabili terræmotum persensit. Nec Arquadæ in Collibus suburbanis hac supellectile destituebatur. Ex quibus omnibus selectiores Reipublicæ Sereniſsimæ donasse iam senio confectum credibile est. Nec tamen ij Codices in

Biblio-

Bibliothecam D. Marci repoſiti, ſed in peculiarem lo-cũ translati in ſacræ Aedis faſtigio, apud equos æneos Plateam verſus, vbi commiſſariæ (vt loquuntur) ſcripturæ Procuratorum D.Marci aſſeruantur,propè cellam Abbatis Ioachimi.Vnde me in eos inquirente Illuſtriſs. Viri & de re literaria benè meriti, D. Benedicti Capelli Sereniſsimi Franciſci Erizij Ducis ex ſorore nepotis indicio,pro ſumma ipſius vigilantia in lucem producti,inque ordinẽ,vt licuit redacti,prouidentia Illuſtriſsimorũ Senatorum ac D Marci Procuratorum Franciſci Mauroceni,Franciſci Molini Theſaurarij, & Ioannis Nani. Immane verò in ipſos Codices ſæuierat edax temporis calamitas eo dente,quo theatra, moles, Vrbes deſtruuntur. Adeo quicquid hic erat partim in pulucrem inter manus penè collapſum, partim (dictu mirum) in ſaxa mutatum. Laudanda hic in primis egregia Cl. Patris D. Fortunati Vlmi Abbatis Caſsinenſis diligentia, cui Sereniſs. Senatus decreto hæc erat commiſſa cura, vt libellos tenebris eximeret,& eximium PETRARCHÆ donum à temporis ſitu,ac tineis vindicaret. Horum, quos fortuna ſuperſtites voluit, Syllabum à Viro laudato ad me perhumaniter tranſmiſſum curioſis non ingratum ſpero.

Miſſale vetuſtum in membranis in folio maiori, in quo non reperitur memoria Conceptionis B. Mariæ Virginis.

Antiphonarium geminum fol. in membr.

Pſalteriuin in 8. *in membr. & Breuiarium in* 8. *membr.*

Precationes Miſſæ ſolemnes fol. paruo membr.

Libri Iob, & Salomonis Sapientia, Eccleſiaſtes & Cantica, in 4. *magno membr.*

Pro-

Prosperi Aquitani Carmina in 4. membr.
Aristotelis Opera, De Physico Audito, De Cælo & Mundo.
De Meteoris, De Generatione, & de Anima.
Virgilij AEneis in fol. paruo, membr.
Horatius de Arte Poetica in 4. membr.
Parabolæ Magistri Arnoldi de Villa Noua scilicet Regulæ Generales curationis morborum factæ, (vt ipsi ait) ad honorem Illustriss. Regis Franciæ D. Philippi. Item Canones de Podagra. Item Abbreuiatio Regiminis auctorum. Tabulæ. Item liber de Conseruanda Sanitate. Abbreuiatio libri Prognosticorũ, vbi & de Crisi. Tractatus Astrologicus pro Medicis. Quæ hodie ad nos peruenerũt omnia Lug. impressa 1504 & alibi.
Compendiũ Medicinalis Astrologiæ à Fratre Nicolao de Paganica Ordinis Predicatorum compilatum Anno 1330 in fol. maiori in membr.
Liber Logicæ Petri Hispani fol. minori in carta.
Fratris Guidonis Respiniani Carmelitani Catalani Quæstiones de Anima.
Liber de partibus Orationis, quatenus prædicamentaliter tunc tenetur à Magistro Spergilo Gambellato Papiensi compositus Anno 1319 fol. membr.
Quodlibeta AEgidij.
Alphabetum Persicum, Comanicũ & Latinum Anonymi scriptum Anno M CCC III Die xi Iulij. Cuius libri initium est tale: *In nomine Domini Iesu Christi &c.* Hæc sunt prima verba & nomina de litera A.

Audio	——	*Mesnoem.*	——	——	*Esiturmen.*
Audis	——	*Mesnoy.*	——	——	*Esitursen.*
Audit	——	*Mesnoet.*	——	——	*Esitir.*

Liber

Liber Marchianæ Ruinæ qui cõtinet bella Anni 1338 quo Sereniſs. Reip. Venetæ acceſsit Vrbs Taruiſiũ. Cuius principium eſt.

Audiat aure trucem cordis pietate ruinam
Lector, & innumeras populi quas Marchia clades
Commiſſas depreſſa tulit ſub tempore tetro:
Quo iuuenes tenuere Duces fulgentia ſceptra.

Finis:

Vt placida te pace regat Rex vſque ſupernus,
Dum ſpires: Requiem tandem tibi præſtet amœnam.

Auctoris nomen hoc diſticho in calce libri exprimitur:

Gente Ligur, Patria Ambroſij ſum fertile nomen,
Eſt mihi ſtirpſque Ceres mea ſpica eſt Apocopata.

Max Planck Institute Digital Collection for study purposes only. Any other use or copy is prohibited.

VALLISCLVSA.



POETAE SECESSVS IN VALLEM CLAVSAM.

Cap. XIV.

SOLITVDINIS vtilitates & commoda quis dignè ſatis enarrabit ? Solitudo laborum quies eſt, ciuilium ſeditionum obex, vitæ ſecuritas, animi dulcedo, felicitatis flos, tranquillitatis aura, cibus animi, ſtudiorum condimentum, ſtudentium vita, nutrimentum operum, bonique tandem ac beatè viuendi recta Methodus, ac Theſaurus, nullo æquè argento vel auro æſtimandus. Surgit ſolitudinis amans è lecto ſomno breui recreatus, non fracto curis domeſticis, ſed expleto; aut certè pernoctantis Philomelæ cantibus experrectus, alacer in ſiluam tendit, vbi floreum ſedile nactus, ſalubremuè collem, lætus ibi conſiſtit, primoque ſolis iubare iam exorto diuinas in laudes ore pio prorumpens, longèque ſuauiùs, ſi ductis è pectore ſuſpirijs lene proni gurgitis murmur adſtrepat, aut dulci aues concentu accinant, innocentiam vitæ, linguę frenum, oculorum velum, candorem cordis, vecordiæ fugam, domitricem carnis abſtinentiam, precatur è cœlo. Vno ille contentus famulo modeſto ſub loco, mundam menſam nulla re ma-

gis exornate, quam frugalitate. Adsunt illi pro tumultu requies, pro strepitu silentium obuersatur. Spectare cælum auet, non aurum; calcare terram, non purpuram cõcupiscit. Nullis penitus inuidet, nullum odit, sorte contentus sua, & fortunæ iniurijs inaccessus, nihil planè metuit, exhorrescit nihil . Enimuero sciens non spargi venena fictilibus, & humanæ vitæ pauca sufficere summasque diuitias esse nil optare, summum Imperium nil timere, lætum agit & tranquillum ęuum, placidas noctes, ocioſos dies, & ſecura conuiuia . Is liber ſedit, intrepidus nullas ſtruit, aut cauet inſidias: ſcit ſe amari, non ſua; ſcit mortem ſuam nulli vtilem, nulli damnoſam vitam, nec multum intereſſe arbitratur quamdiù, ſed quàm benè viuat: nec vbi, aut quando moriatur, magni exiſtimat: ſed qualiter, in id vnum ſummo ſtudio intentus, vt bene actam vitę fabulam, pulchro fine concludat. Secum hęc animo reputaus PETRARCHA noſter vitam hanc inprimis adamare cœpit, magniſque ſemper conatibus amplexatus eſt, quippe quæ Muſis, & Apollini grata ſemper extiterit, & ab eorumdem cultoribus inſigniter perpetuò culta . Solitudo nempe ſine literis exilium, carcer eſt, equuleus: ſociata vero literis, patria libertas ſola, ſolidaque mentis voluptas eſt, vt non immerito noſter idem PETRARCHA cecinerit,

Silua placet Muſis, Vrbs eſt inimica Poetis.

Quippe rarò poteſt contingere eum qui habitat Vrbem non conueniri, diſtrahi, ocupari. Ea de re Vates Græcos pariter & Latinos ſpectata ſolitudinis vtilitate ruris dona prolixius ſuis in carminibus extuliſſe legimus , & agros vrbibus prætuliſſe. nec aliunde tot fontibus, tot

amœ-

amœniſſimis Vallibus,tot iugis montium,vbique Muſis, & poeticis Numinibus conſecratis ingentẽ acceſſiſſe famam,quàm quod his in locis degentes Poetę accommodatiſſimum commentationibus ſuis ſeceſſum procul ab hominum turbis & negotiorum turbinibus reperere. Hinc ille Orphei inter ſilueſtria dumeta,& prærupta ſaxa ſuauis adeo, & ipſis vel ſurdis roboribus exauditus cantus: Hinc VALLIS CLAVSÆ fama tot terrarum orbe vna cum FRANCISCI noſtri nomine decantata:Hinc SYLVA PLANA trans Entiam amnem Rheginis in finibus per ipſum nota: Hinc ARQVADÆ collis,ab indigenis, atque exteris, Vatis eiuſdem gratia ſedulò frequentatus . Quibus in locis noſter diuinus Vates maiorem vitę ſuę partem egit . Huc curarum iactatus fluctibus ſe recepit, hic tanquam in portu tutiſſimo conquieuit . Clauſę Vallis alumno ætatem floridam; Arquadę colles placidam Viri ſolitudinis amantiſſimi ſenectutem reddidit : vt hi non minus quam illa digni planè ſint, quæ perennibus literarum monumentis ęternùm viuant. Alpium radices prouinciam Narbonenſem ſpectantes locus occupat vulgò VALLIS CLAVSA dictus. Illic

Fons eſt illimis, nitidis argenteus vndis ,

Sorgię,qui miro ſuæ naturæ decore,è ſpecu quodam remotioris pręcipitij tanta vndarum copia redundat, vt ſtatim plenus , & iam ſui potens amnis eſſe optimorum piſcium ferax incipiat , ac tandem in Rhodanum poſt multas ambages rupium elabatur. De quo ſic Vates ipſe Lib. III. Epiſtolarum.

mons horridus auras
Excipit ac nimbos,& in æthera cornibus exit.

Ima tenent fontes, Nympharum nobile regnum
Sorgia surgit ibi, querulis placidissimus undis,
Et gelida prædulcis aqua spectabile monstrum
Alueus, vt virides vitreos tegit amne smaragdos.

Ad huius originem Petrarcha ætate adhuc iuueni li, casam statuit, quam sibi ab omnium perturbationum castris exauctorato, tamquam militi veterano, tranquilli ocij sedem faceret, vbi multis annis paruo prędio, quod sibi emerat, contentus, & agricolæ sui laborum, & mensę particeps, vitam non frugalem tantum, sed & diuinam egit. Quid hic porrò aura diuina fretus cùm ab orando & contemplando otium illi foret, scripserit, indicauit ipse ad Posteritatem: *Inde etiam (*Roma*) reuersus cum omnium, sed in partis illius tædiosissimæ Vrbis fastidium, atque odium naturaliter animo meo insitum ferre non possim, diuerticulum aliquod, quasi portum quærens, reperi Vallem perexiguam sed solitariam, atque amœnam, quæ* CLAVSA *dicitur, quindecim passuum millibus ab Auinione distantem, vbi fontium Rex omnium* SORGA *oritur. Captus loci dulcedine, libellos meos & me ipsum illuc transtuli. Longa erit historia, si pergam exequi, quid ibi multos ac multos egerim per annos. Hæc est summa; quod quicquid ferè Opusculorum mihi excidit, ibi vel cæptum, vel conceptum est, quæ tam multa fuerunt, vt vsque ad hanc ætatem me exerceant, ac fatigent.* Sed ea de Valle audiendus nobis quoque Boccaccius probè meritus de Pręceptore suo discipulus in hæc verba:

Franciscus Petrarcha, cælestis homo & nostro æuo Poeta clarissimus, nonne spreta Pont. Maximi beneuolentia, quam omnes ferè Christiani summopere cupiunt, & procurant, & Pileatorum Orbis Cardinum, aliorumque Principum, in Vallem

Clau-

Clauſam abijt, inſignem Galliæ ſolitudinem, locum vbi Sorgæ Fontium rex oritur, & ibidem omnem ferè floridã iuuentutem ſuam, Villici vnius contentus obſequio, meditando atque componendo conſumpſit. Fecit equidem, ſtant veſtigia, ſtabuntque diu parua domus & hortulus, & dum Deo placet, teſtes viuunt plurimi. Meminit & eiuſdem Vallis in Hiſtoriali Speculo Vincentius, & hiſce verbis Clauſulam appellauit. *Poſthæc Auinionem redijt & in Valle per exigua amæna, quæ Clauſula dicitur Bucolicum carmen ſcripſit, & Vitæ ſolitariæ Lib. II.* Recenſuit & libros hic loci à PETRARCHA conſcriptos Vadianus libro ſingulari de Poetica Cap. xv, & hos in primis: *Scipionis geſta*, quod Opus *Africam* nominauit. *Bucolicum* carmen, & *Epiſtolas* complures, multo verò opus pulcherrimum ad Philippum Caualicenſem Epiſcopum *de Vita Solitaria*, in quo adeo quæ mundi ſunt contemnit, adeo verum rectũque tuetur, vt dubites vtrum hominem agnoſcas, an homine maiorem. Tanta conſtantia eſt, tantus ardor, copia tanta, vt interim prætereamus argumentorum & rationem fidem. Neque ommiſſus hic locus in Appendice Theatri Abrahami Ortelij, & Atlãtis G. Mercatoris edita Amſterdami 1631, vbi habetur tabula ænea, in qua delineatur Auenionenſis Comitatus, & in eo Vallis Clauſa, verbiſque Gallicis notatur *le Maiſon de Petrarque, & fonteine de Vaucluſe merueilleuſe à veoir*. In deſcriptione verò hęc leguntur: *Vallis Clauſa, vulgo Vaucluſe, quo conferre ſe ſolitus ſcribitur* FRANCISCVS PETRARCHA, *philoſophicis meditationibus operam daturus, Vallis eſt amæniſsima rupibus, vnde fõtes limpidiſsimi manãt, cincta*. Petrus Bertius quoque Geographus Regius

mi-

mitioris literaturæ Parisijs professor publicus meminit eius in Tabulis, editis Amsterodami per Iudocum Hondium, vbi Comitatum Auenionensem describens de Sorga flumine hæc habet: *Est in hoc Comitatu fluuius, Sorge, non tam naturæ opere, quam decantatissimi Francisci Petrarchæ versibus nobilis*. Et hęc subiungit de Valle Clausa. *Est & locus Valclusæ situ amœnissimo inter rupes, quæ vallem vndique claudunt, ex qua re etiam loco nomen. In hoc secessu Hetruscus ille suam Lauram dignis immortalitate versibus decantauit*. Sed placet ipsam quoque Vallis Topographiam spectandam legentium oculis exhibere, sicuti eam accepimus delineatam ab humanissimo Iosepho Maria Suaresio Episcopo, opere Hieronymi Dauidis Galli cœlatam. In hac eleganter Mons imminens, Arx, & Domus ipsa Petrarchę adhuc visitur, fons Sorgiæ in Vallem fluens, peramœnos reddit campos, dum prata floribus, rupes consitæ arboribus lectissimum prębent secessum. Perhumaniter idem mihi transmisit alteram huius Vallis delineationem ex Relatione Ioan. Francisci Bordini Episcopi Cauallicensis Anno 1597 depromptam, quæ adhuc in Bibliotheca Barbarina asseruata posticam Vallis faciem repræsentat. Eam pari diligentia delineatam descripsit Vellutellus, & antiquitatis eximius inuestigator Gabriel Simeonius in *Epitaphiorū Illustratione*, ad quos lectorem remittimus. Hic tamen prætereundum minimè ducimus Etruscam dictę Vallis descriptionem.

Deliberai di riuedere vn'altra volta il sito di Valchiusa, luogo doue il Petrarcha compose vna parte dell'opere sue, & massime quelle d'amore per Madonna Laura. Questa Valle

nel

nel vero è la più dilettenole, e bella, & quiui sono le più piaceuoli, & chiare fontane, ch'io vedessi mai, di maniera che se io non fosse stato accompagnato, e non hauessi promesso à certi amici fornire il viaggio d'Italia, io credo certamente, ch'io serei restato la per tutto il tempo di mia vita. Conciosia che la piaceuolezza del Colle su la punta del quale siede ancora meza rouinata la casetta del Poeta, la solitudine, & quiete del sito, i chiusi boschetti d'ogni tempo verdi, l'asprezza diuersa delle alte roccie, & il dolce mormorio delle purissime acque mi rappresentauano naturalmente inanzi agli occhi l'imaginato monte di Parnaso, e la fontana ricetto delle noue Muse: stimando felicissimo colui, che hauessi potuto, ò potesse del continuo habitare in si ameno, & libero luogo, & sotto così benigno, & pacifico Cielo. Domum Poeta testamento quidem Xenodochium constituerat. Verum qui iniuria, & Patroni locorum iniuria hodie omnino videtur deserta. Multi Sorgæ flumen Vallisque Clausę peramænos secessus venustissimis celebrarunt versiculis. Vidimus Hieronymi Briuij eximij ingenij ad Suaresium de laudibus Sorgiæ carmẽ. Ne vero lectionis vbertate animos, libellumque impleamus, illos solummodo referamus, quos suauissimus Suaresius nobis transmisit nitore ipsi fonti Sorgiæ nihil cedentes.

Has ædes, quarum lapsantia rudera cernis
Incoluit Thuscus Vates, qui captus amore
Auenicæ Daphnes patris penè immemor Arni
Hæc sibi delegit Tempe & bis quinque per annos
Hæsit in hàc Valle, & vicini in margine fontis.
Versibus hic siluas, hic versibus Afra Trophæa
Concinuit, doctas chartas hîc scripsit amicis.

In

In queis pura nitet Latiæ facundia linguæ,
Etruſcaq́ Lyra teneros, quibus arſerat, ignes
Luſit, & ereptæ ſibi fleuit gaudia Nymphæ.
Diruerit tectum licet inuidioſa vetuſtas,
Et reliquas quoque fruſtratim diſperdere pergat
Parietinas, non tota cadet, ſed nixa Petrarchæ
Carminibus, quæ perpetuum victura per æuum,
Iſta domus nullas vnquam eſt ſenſura ruinas.

Epigramma Eiuſdem.

Olim hic laurigerum fama eſt habitaſſe Petrarcham,
Qui fuit Etruſcæ gloria ſumma lyræ.
Inde ſacer Muſis locus eſt, procul eſte prophani.
Relliquias ſacræ ne violate domus.

Ad Aquę Sorgiæ lene caput canebat ex tempore V Kalendas Martias M DC XXIII Ioſeph Suareſius.

Sed relictis de Valle Clauſa ac Sorgia fonte ſermonibus, procedamus ad Poetæ noſtri affectus, quos ibi Lauræ aſpectu concepit.

AFFECTVS IN LAVRAM.

Cap. XV.

MIRO ardore, sed purissimo, exarsit PETRARCHAE nostri pectus, dũ per amæna vireta Clusę Vallis obambulans solitudine illa felici & ab omni molestia libera frueretur. Hic ille radijs pulcherrimæ LAVRAE primus afflatus, mox & sauciatus est, insigni in puellam clarissimam affectu raptus; quem ita coluit & seruauit, vt inter mortales degentem supra cæteras longè extulerit, & postea euectam ad superos proposuisse sibi videatur vnam præ cæteris efferendam, vt iure merito in suis Elogijs de Petrarcha Iacobus Latomus:

Qui tanta Etrusci carminis dulcedine
Tamq́; æstuosis vexeris præconijs,
Tuam puellam vt nemo te non crederet
Flagrare, quãtis nec vel Aethena incendijs.

Sed ea de re locuples ipse testis in Epistola sua ad Posteritatem verbis huiuscemodi: *Acerrimo amore, sed vnico, & honesto, in adolescentia laboraui, & diutius laborassem, nisi iam tepescentem ignem mors acerba, sed vtilis, extinxisset.* Et in Colloquio Tertij diei, sui ardoris candorem aperiens: *In amore meo nil vnquam turpe, nil obscœnum, nil*

denique præter magnitudinem culpabile : Adde modum, nihil pulchrius excogitari queat . Amore verè vnico & honesto arsit, quòd pulchritudinem diligens, quam oculis vsurpabat, raperetur ad amanda multo pulchriora, quæ intus latebant ; non secus ac moralis Philosophiæ parens Socrates narratur Alcibiadem pulcherrimum adolescétem dilexisse. De quo sic ipse iterum : *neque enim vt putas, mortali rei animum addixi, ne me tã corpus noueris amasse, quàm animam moribus humanam transcendentibus delectatũ, quorum exemplo, qualiter inter Cælicolas viuatur admoneo* : & paulo post: *Virtutem illius* LAVRAE *amaui, quæ extincta non est*. Isque affectus ita erat purus, vt vel inde Boccacius disertè huiusmodi PETRARCHAE præconium conflare voluerit : *à iuuentute sua cœlibem vitam ducens, adeo ineptè Veneris spurcitias horret, vt noscentibus, illum, sanctissimum sit exemplar honesti*. Hieronymus Cardanus etiam inter alia multa, quibus illũ admirationi fuisse prędicat, loco quarto Cœlibatum eius, & orbitatem locat. Nemo verò nisi cui caput insanum PETRARCHÆ amorem LAVRÆ obiecerit . Magna quippe Amoris, & mira potentia est, qui valide adeò, adeoque tenaciter inuisibili quidem, sed haudquaquam insensibili nexu, minima maximis innectit, vt quorum nulla est paritas, pari regat imperio. Quidni hoc etiam iuris habeat amor in animis hominum sensu & ratione pollentibus, qui certis fœderibus, surda & aduersa inuicem elementa conglutinat. Non flammis aer, non terra fluctibus hæreret, non ripas fluuij, non æquor litora, non semitas suas astra cognoscerent, nisi omnipotens & (vt eum vocant) sacer orbis Amor vniuersa connecteret. Tali diuino incendio

PE-

PETRARCHA noſter inflammatus eodem deuinctus eſt, & plurimum Lauræ animo menteque coniunctus, quidquid egerit, ipſa Laura dictante cõſcripſerit. Fatetur ipſe in Colloquio Tertij Diei: *Vnum hoc non ſileo, me quãcunq; conſpicis, per illam eſſe, nec vnquam ad hoc, ſiquid eſt nominis aut gloriæ, fuiſſe venturum, niſi virtutum tenuiſſimam ſementem, quam pectore in hoc natura locauerat, nobiliſſimis his affectibus coluiſſet. Illa iuuenilem animum ab omni turpitudine reuocauit, vncoque, vt aiunt, retraxit, atque alta compulit ſpectare. Quidni certum enim eſt amore in amatos mores transformare. Atqui nemo vnquam tam mordax conuiciator inuentus eſt, qui huius famam canino dẽte contingeret: qui dicere auderet (ne dicam in actibus eius, ſed in geſtu verborum) reprehenſibile aliquid ſe vidiſſe. Ita qui nihil intactum liquerant, hanc mirantes veneranteſque reliquerunt. Minimè igitur mirum eſt, ſi hæc tam celebris fama mihi quoq; deſiderium famæ clarioris attulit, laboreſq; duriſſimos, quibus optata conſequerer molliuit. Quid enim adoleſcens aliud optabam, quàm vt illi, vel ſoli placerem, quæ mihi, vel ſola placuerat. Quod vt mihi contingeret, ſpretis mille voluptatum illecebris, quo me ante tempus eius laboribuſque ſubiecerim noſti, & iubes illam obliuiſci, vel parcius amare, quæ me à vulgi conſortio ſegregauit, quæ dux viarum omnium torpenti ingenio calcar admouit, ac ſemiſopitum animũ excitauit.* Nec tamẽ hic affectus quantumuis maximus vllum in Petrarchę animo locum dedit Summorum Virorum voluntati, qui Ponticis auctoritate vinculo maritali eam animorum vnionẽ firmari voluerunt. Cenſebat nempè ille iſto nexu amoris puritatem obfuſcatum, iri neque cultum animi ita fore conſtantem, iuxta illud Tibulli:

Semper in absentes felicior æstus amantes.

Castum hunc & honestum Petrarchæ ardorem celebrat Scæuola Samarthanus lib. 2. Lyricorum.

Vis ea formosæ fuerat præstantia Lauræ
Et tamen hanc pius ille Poeta.
Intactam coluit multos Petrarcha per annos,
Et cantu super æthera vexit.
Non illum ingenuæ, quas intentissimus artes
Cura omni studioque colebat,
Primus & à longa reuocabat nocte sepultas,
A dulci auertere furore.

Quamobrem alijs ineptijs, quæ in huius Vatis amorem euomuntur silentio potius, quam apparatu verborum, vel sententiarum pondere satisfacere libet. Sanè quod attinet ad articulum illum temporis, quo LAVRAM vidit & deperijt simul, palam id abundè fecerit Monumentũ antiquissimis characteribus ea de re scriptum, quod apud V.C. & istarum veteris memoriæ deliciarum studiosissimum Felicem Osium bonæ memoriæ extabat in calce libri Petrarchæ Poematum Editionis Anni M CCCC LXXXIV, qui erat Gasparis de Dondis ab Horologio Ciuis Patauini. Ita verò se habet, vt à me producitur fide bona, & sicuti publici iuris est:

LAVRA *proprijs virtutibus illustris & meis longum celebrata carminibus primùm oculis meis apparuit sub primum adolescentiæ meæ tempus Anno Domini* 1327. *die* VI. *Aprilis in Ecclesia S. Claræ Auinioni hora matutina, & in eadem ciuitate, eodem mense Aprilis eodem die sexto, eadem hora matutina. Anno autem Domini* 1348 *ab hac luce lux illa subtracta, cũ ego forte Veronæ essem, heu fati mei nescius. Rumor autem*

infe-

infelix per literas Ludouici mei me Parmæ reperit Anno eodē mense Maio die XVIII mane. Corpus illud castissimum, ac pulcherrimum in locum Fratrum Minorum repositum ipso die mortis ad Vesperam: animam verò eius, vt de Africano ait Seneca, in Cælum, vnde erat, redijsse mihi persuadeo. Hæc autem ad acerbam rei memoriam amara quadam dulcedine scribere visum est, hoc potissimùm loco, qui sæpe sub occulis meis redijt, vt cogitem, nihil esse debere, quod amplius mihi placeat in hac vita, & effracto maiori laqueo tempus esse de Babylone fugiendi, crebra horum inspectione, ac fugacissimæ ætatis æstimatione commouear, quod præuia Dei gratia facile erit, præteriti tēporis curas superuacaneas, spes inanes, & inspectatos exitus acriter & viriliter cogitanti. Monumentum istud PETRARCHA scripsit fortasse vt mos est in Virgilio sibi familiari, vt illa indicant: *Hæc autem ad acerbam rei memoriam &c.* cuius dein exemplar, veluti rei posterorum memoria dignæ, in manus Ioannis Dõdi ab Horologio Medici Patauini deuenit, qui Fràn. Petrarchę summa neccssitudine & familiaritate coniunctus vixit. Licet enim ipse, quod ex Inuectiuis eius in Medicum apparet, Medicis infensior videri posset, Dondo tamen prolixas Epistolas misit, suisque in scriptis Consilia sibi ab eo, pro recuperanda salute, data impensè laudat atq; extollit. Quid enim magnificentius? *Misisti plenam fidei Epistolam, plenam solicitudinis, plenã artis, quam professus es: cui (quantum ego arbitror) nihil adderet Hippocrates, nihil demeret, nihil mutaret. Quin etiam ille tuis consilijs acquiescceret, cuius è fontibus hausta sunt, cum horum ego quoq; nescius, & contemptor, in multis tamen ratione victus acquieuerim.* Quod præclarum de ipso iudiciũ extremę etiam voluntatis munificentia vberius testatus est

Poeta.

Poeta. Dondo autem rebus humanis abrepto Anno M CCC LXXX die VII. Septembris teste eius Epitaphio, quod ad Basilicæ Cathedralis portã spectatur, istud Petrarchę de Laura monumentum per Fratrem Gabrielem Medicum cl. transijt ad Gasparem de Dondis librorum facultatumq; hæredem, qui illud in calce Poematũ Petrarchę à suis maioribus traditum exscripsit iuxta alia nõ vulgata oræ libri adiecta. Etsi verò dubia plerisq; Expositorum Etruscorum sit huius monumenti fides, non defuisse tamẽ alios, qui eam admiserint, tum ex nuperrimè allatis, tum ex vetustioribus quibusdam Petrarchæ Poematum editionibus eam exhibentibus voculis dũtaxat pauciſſimis ab altera MS. mutatam, apertum est. Nec desunt rationes, quibus id comprobent. Poetę nimirum eã extorsit hinc affectus intimior, hinc doloris magnitudo, addo casus inopinatior, quã consuetudine multis seculis recepta libro chariori in rei memoriam committere placuit. Diuersum hic sensit inter Cõmentatores Alexander Velutellus: quod Epistola ista in Virgilio Antonij Pirrhi nobilis Ticinensis reperta, non sit de manu Petrarchę, quamuis idem non difiteatur stylũ Vatis genio esse valde affinem: sed ab alio fortassis consarcinatum. Cui accedit Gesualdus, qui communem secutus Interpretũ sentẽtiam contendit Poetã non loco ibi nominato, sed inter virentes herbas ad Vallis Clausæ auram & amęnas Sorgiæ fontis ripas primum in LAVRAM exarsisse, hisce forsan Poetæ nostri in Ecloga Pastorali motus.

Daphne ego te solam deserto in litore primum
Aspexi, dubius hominnemne, Deam ne viderem;

Mitto alia ab Interpretibus ex Poemate Etrusco cõgesta.

Addit

Addit Taſſonus Iunctino Mathematico eximio auctorẽ fuiſſe Franciſcum Sturnum inquireret calculo in tẽporis veritatem, ipſum verò deprehendiſſe ſextam die Aprilis Anni 1327 in feriam ſecundam memorationi Paſſionis Dominicæ dicatam iucidiſſe, non autẽ in ſextam, cui ex Etruſcis Carminibus Vatis multi amoris initium dedere. Quidquid ſit, litem hanc nolo meam: nec amoris certitudini quicquam detrahit, vtrum id Epiſtolij Vatis noſtri fuerit genuinum, necne: cuius in LAVRÆ amores mutuus animi affectus iam vniuerſo orbi decantatus. Illud ſaltem ſagacioribus ingenijs perpendendum relinquo, quãti fuerit, ſi ipſe ſua manu vel Amanuenſis (cuiuſmodi alebat plurimos) elegãtiori ſimile quid literis conſignatum voluerit: Vt ſileam perdifficile alienum ſermonem perẽquè ad alterius genium exprimere. Poetę verò magis placuiſſe ſiluas & flumina ſui amoris conſcia, quam turbam & ſtrepitus ciuicos, nemini mirum qui paulo humanior. Quid enim aliud ſibi voluit Poeta Sulmonenſis:

Carmina ſeceſſum ſcribentis & otia qucrunt.

Nec ſanè vllus mihi hactenus Petrarchæ Opera diligentius voluenti occurrit locus, qui ferię ſextę meminit. Interpretibus igitur incumbat firmior eius rei probatio, ſi nos in ſuam ſententiam pertrahere velint. Laurę profectò eæ erant dotes, quæ felicis genij obſequium mærebãtur. Quod ne temerè aſſeuerauerim, en Vitam & ſpeciem ipſius miris naturę decoris refertam.



LAVRA PETRARCHAE

LAVRAE PETRARCHAE VITA, ET ENCOMIA.

Cap. XVI.

LAVRA diuini Vatis noſtri amor, & delicium, lectiſſimarum Heroinarum ſidus, pulchritudinis flos, Honeſtatis ſplendor, Diuini amoris Idea, pudicitiæ candor, Caſtitatis incendium. Charis Quarta, Generis humani prȩcipuum ornamentum, ſummis vtique præconijs vbique terrarum ac Gentium celebrata, orta eſt ex Patre Chiabau vel vt alijs placet ex nobili Henrico Chabodio Auenionenſi Domino de Gabrieres, quo in loco Natales ſuos felici ſidere habuit. Gabrieres autem oppidulum eſt inter Colles, qui Clauſam Vallem amȩniſſimam (qua de ſuprà meminimus) ab oriẽte ſpectãt, focis ſiue Colonorum ędibus perpaucis frequens, ijſquè paſtoribus Caprearum. Quàm ob cauſſam loco nomen antiquitus à Capris factum arbitrantur multi. Ciues enim Auenionenſes, ciuitate relicta, ac domibus Eccleſiaſticis Proceribus venundatis partim, his in Collibus feliciſſimè viuere conſueuerant, partim Eccleſiæ opibus aucti pleraſque domos in eijſdem collibus conſtruxerant, vtà Curia aliquando ad collium illorum amænitatem animi recreã-

di gratia se conferrent. Hęc de Natali LAVRAE solo, vt à maioribus nostris accepimus, & incorrupta literarũ monumenta docent. Nata vero est Anno salutis humanæ 1314. die 1111. Iunij, sacroque de fonte suscepta Auinione quod ex antiquo Ecclesiæ illius libro se hausisse memorat Vellutellus, qui ijs in locis curiosè & diligenter in singula inquisiuit, quę LAVRAM concernebãt. Familia de Chiabau, cuius illa germen, valdè olim celebris in illis locis, etsi prædicti Vellutelli æuo extincta fermè conciderat, vno tantummodo superstite sacerdote, qui Cauaglione Presbyter Chiabau dictus. Eiusdem stemma pisces numero tres, quos vulgo *Bottetrise* vocãt, orbe suo complectitur. Tangit Vates noster pluribus in locis Lauræ nobilitatem, & præsertim illis carminibus, quæ subijcio:

Est mihi post animi mulier charissima tergum,
Et virtute suis & sanguine, nota vetusto,
Carminibusq; ornata meis, auditaq; longè
Sed redit in frontem, & varijs terroribus implet,
Insultans, nec adhuc solio cessura videtur
Artibus hæc vllis, sed simplicitate placendi
Cæperat olim animum & rarę dulcedine formę.

Cæterum, vt ad Lauram redeam, vix natam parentes, tamquam è Cælo delapsam, ob eximiam pulchritudinẽ, ac insignem animi pręstantiam, stupore defixi altissimo mirabantur assiduè, venerabantur etiam, nec satis explerí tuendo quibant. Illa verò lacteis imbuta moribus mirum in modum adolescebat, ingenio prædita supra muliebrem sortem, nec vultum, Cæli sideribus æmulum, sed animum optimis & ingenuis artibus excolebat. Nõ

pue-

puerilia, sed ingenua sectabatur: Non lasciuiæ, sed honestatis amans; non audax sed modesta, & quem ad eius soli & seculi morem hic cernis cultu, Parentũ dictis obtemperans rei domesticę studiosa: Læta, non fastosa: non otio dedita, sed labori. Aequales inter condibat maiestate LAVRA sermones suos, puellis vel agrestibus cara. Nihil illius vultu pulchrius illis in Collibus elucebat: Nihil venustius illius genis, grato quodam candore, ruboreque distinctis; nihil verecundius illius gressu; nihil splendidius oculis; nihil amabilius sermone cui mel apes suum creditę infudisse. Erat illa Soli natalis, & collium illorum Phębe, & inter puellas reliquas radiabat, velut inter ignes Luna minores. Egressam domo per prata proxima gradientem ad Lillam, vel ad Vallẽ Clausam, flores ipsi adorare proni quodammodo videbantur, ac Sorgę fontes, aquarumque gelidę perennitates, ac riuuli, dulci illi murmure adblandiri, gressusque virgineos propius osculari. Facies mediocriter extensa, color genarum albus, rubore permixtus, oculi nigri, fulgentes, sed immobiles, os paruum, grauis incessus, purissimi cordis argumentum erant. Nullius puellę dos amori, vel admirationi fuit, quæ non in LAVRA spectaretur. Corde adamantino prædita suprà naturam mulierum omnium ad immortalitatem & gloriam toto animi impetu ferebatur, digna planè, quę suarum laudum præconem FRANCISCVM PETRARCHAM Vatum Etruscorum coryphęum, & principem sortiretur. Cuius affectum ea coluit vicissitudine, vt vel hinc elegantis ingenij Poetę cuidam operę visum fuerit peculiare Poematium Etruscum Lauræ nomine in vulgus mittere sub titulo: *Sonetti di*

M. Laura in risposta del Petrarcha. Fidum elegantissimæ Virginis amorem inter alios non inuitis planè Musis in Schediasmatibus suis celebrauit Amicus noster Ioannes Rhodius:

Ignibus æthereis Laurus nil mota viresçit:
Non potuit Vatis ludere LAVRA *faces?*
Hetrusças lentoquæ fouerat igne Camœnas,
LAVRA *fide, culti Carminis aura, viget.*

Eumque amorem honestissimum ita continuauit Poeta, vt tum viuam, tum extinctam ęternùm victuris pręconijs exornauerit: Amor quippe diuinus æternùm viget, nec eius facem extinguunt ferales tædæ. PETRARCHA verò Annos natus XXIII captus est amore LAVRÆ Anno ferè XIII ætatis illius, vt eius ex verbis declaratũ, cũ profiscerętur ad Lillam sacri audiendi gratia, vel vt alijs visum, Auinioni die VI. Aprilis 1327. cuius rei ipse testis:

Mille trecento venti sette à punto
Sul' hora prima, il dì sesto di Aprile
Nel laberinto intrai, ne veggio onde esca.

Amori certè isti plurimum debent mortales, quod is nobis Petrarchæ tot labores, & carmina pepererit, quæ nemo satis vnquam pro meritis celebrare possit. Viguit etenim amor ille in casto PETRARCHÆ pectore Annos XXXI. vnum & viginti, dum LAVRA vixit, decem posteaquam eadem ad superos euolauerat. Ita enim ipse:

Tennemi Amor anni vent' vno ardendo
Lieto nel foco, e nel duol pien di speme,
Poiche Madonna, e'l mio cor seco insieme
Saliro al Ciel, dieci altri anni piangendo.

Nec studiorum contentiones, neque peregrinationes vllæ,

læ;non vitę diſcrimina, nõ longa locorum,ac temporum interualla,nexum illum ſoluere valuere. Audiamus Vatem noſtrum eandem laudantem in Colloquio Tertij Diei cum D. Auguſtino: *Cæterùm ſcisne de ea Muliere mentionem ſibi exortam,cuius mens terrenarum neſcia curarum cæleſtibus deſiderijs ardet: In cuius aſpectu, ſi quid vſquam veri eſt,diuini ſpecimen decoris effulget, cuius mores cõſummatæ honeſtatis exemplar ſunt; cuius nec vox, nec oculorũ vigor mortale aliquid, nec inceſſus hominem repræſentant.* Quomodo verò ipſam amauerit, diſces ex his eiuſdem colloquij quę ſequuntur: *Hanc præſentem in teſtimonium euoco,conſcientiamque meam facio conteſtem, me (quod ſuperius dixeram) illius non tam corpus amaſſe quàm animam: quod hinc percipies licebit, quoniam quò illa magis in ætate progreſſa eſt (quod eò corporeæ pulchritudinis ineluctabile fulmen eſt) eò firmior in opinione permanſi.etſi enim viſibiliter, in vere flos tractu temporis langueſceret, animi decus amplius augebatur, quin ſicut amandi principium, ſic incepti perſeuerantiam miniſtrauit. Alioquin ſi poſt corpus abijſſem,iam pridem mutandi propoſiti tempus erat.* Eius quoque Caſtimoniam eodem in colloquio celebrat hiſce verbis: *Quid enim aliud egit,cum nullis mota precibus,nullis victa blanditijs muliebrem tenuit decorem,& aduerſus ſuam ſimul & meã ætatem, aduerſus multa & varia, quæ flectere adamantium licet ſpiritum debuiſſent, inexpugnabilis & firma permanſit. Profectò animus iſte fœmineus quid virum decuit admonebat, præſtabatne mihi in ſectando pudicitiæ ſtudio (vt verbis vtar Senecæ) vel exemplum deeſſet, vel conuitium, poſtremo cum lorifragũ,ac præcipitem videret,deſerere maluit,quã ſequi:* & paulo poſt: *Contra autem illa propoſiti tenax & ſemper vna per-*

permansit, qnam constantiam fœmineam quò magis intelligo, magis admiror. Hinc ille passim iure merito in decantandis eius laudibus mirè fæcundus ac facundus. Omnium loco sit hęc vna:

Nacque ad alcuna già l'esser si bella
Questa più d'altra, e bella, e più pudica.
Forse vuol Dio tal di virtute amica
Torre à la terra, e'n Ciel farne vna stella.

Sileant, qui contra sentiunt, quique cęci ac inhonesti ardoris facibus agitati turpia consectantur, suoque pede reliquos metiuntur. Innupta scilicet vixit Laura, virginitatis flos, honestissimæ vitę norma, forma & exemplar candidorum morum, de quibus nulla vnquam posteritas conticescet. Nec diù vixit, vt in Cęlo ęterna viueret. Anno quippe ętatis XXXIV. terris erepta est, dum Petrarcha Veronæ cum Principibus Scaligeris moraretur: Salutis verò MCCCXLVIII. Die Apr. VI. quod abundè satis indicant lachrimę & carmina, quæ Vates noster eius in funere mœstissimus cõcinnauit. E multis hęc pauca sufficiant.

Sai che in mille trecento quarant'otto
Il dì sesto di Aprile in l'hora prima
Del corpo vscio quell'anima beata.

Sepulta deniquè Auenione in AEde Fratrum Familiæ S. Francisci, vbi Maiorum illius ossa & cineres quiescebant, quod apparet ex fragmento supra posito Cap. XV. Sepulchrum hoc multis retro annis à Mauritio Scæua Viro Literatissimo in lucem fuisse pertractũ prodit Eruditissimus Golnizius Germanus in Vlysse Belgico-Gallico pridem euulgato. Vnde ad exactam loci illustrationem

nem non pauca ab eo graphicè notata curiosis subtexere placuit. Quæ hæc sunt: *Sacellum, in quo illud* (sepulchrum innuit) *videtur, obscurum est. Sinistra ingressus habet altare muro adstructum, ante quod sub grandi saxo sine omni ornatu & inscriptione* LAVRA *cubat. Maiores eius id struxerunt, testantur insignia stellæ, lateribus apposita.* Gabriel Simeon Laurę sepulturam, dum eo loco proprijs oculis vsurparet Epitaphio ornauit, quod in suo libello Italico, cui titulus est *Illustratione degli Epitaffi* tale reliquit.

D. O. M. S.
ET MEMORIAE AETERNAE
D. LAVRAE CVM PVDICITIA
TVM FORMA FOEMINAE
INCOMPARABILIS, QVAE ITA VIXIT,
VT EIVS MEMORIA NVLLO
SAECVLO EXTINGVI POSSIT,
RESTITVIT VETERVM MONVMENTORVM
PEREGRINVS INDAGATOR
GABRIEL SYMEON FLOR. IIII
IDVS APRILIS MDLVII.

Hanc Inscriptionem paulo diuersam sic tradidit Golnizius

D. O. M.
Et memoriæ æternæ D. Laurę
cum pudicitia tum forma fœm.
incomparabilis, quæ tam diu vixit
vt eius memoria nunquam extingui
posset, R. veterum monumentorum

Pere-

Peregrin. indagatores
D. Christophorus de Allegre
Eques Lusitanus & D. Antoniüs
De Prat. Prætor Parisiensis
Et Gabriel Simonius
Florentinus
IV Idus Aprilis M D LVIII.
Sola manet Virtus; cætera mortis erunt.

Pergit porro Gulnizius. *Franciscus I Franc. Rex Massiliam iturus, Auenionem transijt; vbi de Lauræ sepulchro audiens, illud aperiri, & cadauer spectare voluit; saxo amoto, sepulchroque aperto corpus præter ossa in cineres abijsse visum est. Pectori imposita fuit scatula plumbea operculo firmata, qua aperta numus et carmen inclusa reperta sunt. Numus plumbeus vna parte ostendebat figuram fœmellæ, alteram has literas. M.L.M.I. idest,* MADONNA LAVRA MORTA IACE, *Carmen, manu Petrarchæ membranæ pergamenæ inscriptum Italico idiomate, tale erat:*

Qui riposan le caste, & felici ossa
Di quell' alma gentile, e sola in terra,
Aspro, & dur sasso hor ben teco hai sotterra
Il vero honor, la fama, & beltà scossa.
Morte hai del verde Lauro suelta, e mossa
Fresca radice, e il premio di mia guerra
Di quattro lustri, e più, s' ancor non erra
Mio pensier tristo, e' l chiudi in poca fossa.
Felice pianta in Borgo d' Auignione,
Nacque, e morì, & qui con ella giace
La penna, e' l stil, l' inchiostro, e la ragione.

O de-

O delicate membra, ò viua face
Ch'ancor mi cuoci, e struggi, inginocchione
Ciascun preghi il Signor t'accetti in pace.

O sesso.

Mortal bellezza indarno si sospira
L'alma beata in Ciel viurà in eterno
Pianga el presente, e'l futur secol priua
D'vna tal luce, & io degli occhi, e il tempo.

Qui versus maioris sanè sunt pietatis, quàm ingenij: vt procliuius sit eos alteri cuipiam eius loci incolæ assignasse; Petrarcha tunc remotiori, quam vt LAVRÆ iusta soluere posset. Vt fileam horum nihil hic Diuini huius Vatis Musam redolere. Non enim dici potest quàm rythmus hic Italicus ineleganti clausura finiat. Superiora carmina mediocri calamo exarata. At quatuor versiculi omnino Poetæ nostri felicitatem non sapiunt. Quapropter eos in tesseram styli Vatis vocare haud opus iudico. Id enim Bembus, Gabriel Simeonius, & plerique alij sentiunt. Inamœni sunt, dormiente Phæbo, non modò dormitante Homero, vt ita dicam effusi: absque consonantia & norma carminũ. Quem errorem vt euincamus, hos versus Petrarchæ argumenti non absimilis in epilogo Triũphi Diuinitatis huc adducimus:

Felice sasso, ch'el bel viso serra:
Che poi c'haurà ripreso il suo bel velo
Se fù beato, chi la vide in terra,
Hor che fia donque à riuederla in Cielo.

Cõfer si placer Lector, & iudica. Addit Itinerarij Scriptor: *His visis & lectis, Rex Franciscus magnanima fronte sententiam tulit, tumba honoratiori forma dein staret, scripto Gal-*

lico metro, quod tale est :

En petit lieu compris vous pouuez veoir
Ce, qui comprend beau coup par renomee,
Plume, labeur, la langue, e le sauoir,
Furent vaineaz par l'amant, & l'aymer
O gentil ame estant tant estimee
Qui te pourra louer, qu'en se taisant ?
Car la parole est touſiour reprimee
Quand le subiet surmonte le disant.

Sequitur aliud latino metro, auctore Iulio Camillo.

Laura ego quæ fueram Thusci olim vita Poetæ :
Laura ego, quam in vita Thusous alebat amor.
Heic sine honore diu iacui non cognita, quamuis
Cognita carminibus culte Petrarcha tuis.
Nullus purpureis spargebat floribus vrnam,
Nullus odoratis serta dabat calathis.
Nunc quoq; Franciſci, sed verſu, & munere regis
Noteſco, officijs conſpicienda pijs.

Aliud item Italico metro, Ludouici Alemani.

Qui giace il tronco di quel sacro Lauro,
Che del Tosco miglior fu dal oggetto
Ch'ouunque scalda il Sol n'andò l'odore :
Hor dal Gallico Re del Ciel thesauro
(Sendo in poco terren vile, & negletto)
Et di marmi, e di stil riceue honore,
E sempre i rami haurà fioriti, & freschi
Sotto l'ombra immortal de duo Franceschi.

Quibus subscripsit ipse elegantissimus Itineratij Autor scitum hoc epigramma.

Carmine Laurum habui Lauræ studioſus Amator

Mors

Mors rapuit Lauram: carmina non potuit.

Laurę quoque ſepulchrum ſua Muſa illuſtrauit clariſſimum Gallię lumen Michael Hoſpitalius Regni Cancellarius in Epiſtola ad Iacobum Fabrum:

At tibi ſi monumenta placent antiqua, videbis
Felicem Laurę tumulum, cineresque beatos
Laudibus, ingenioque & ſummi carmine Vatis.

Nec defuit Gabr. Simeoni pietatis affectus, quo ille Vatis noſtri & LAVRÆ memoriam proſecutus eſt inſculpto ſua manu Petrarchę parietinis hoc monumento.

FRANCISCI & LAVRÆ
MANIBVS
GABRIEL SIMEONIVS.

Omiſsis quę in LAVRÆ tumulum luſerunt varij, vnum hoc ob miram elegantiam & rei geſtæ memoriam iungere libet Ludouici Alealmi Aurelij Epigramma ſanè egregium.

Tres tibi Franciſci, Diuus, Rex, atq; Poeta,
Fronde tua optarunt cingere, Laura, caput.
Moribus hoc Diuus; validis Rex inclitus armis;
Hoc meruit Tuſcæ laude Poeta lyræ.
Nunc tibi communi pro munere gratia triplex
A ternis terno redditur officio.
Rex decorat tumulo; celebrat te carmine vates;
Impertit templi Diuus honore tui.
Attamen (ingenuè quod regia Muſa fatetur)
Vincuntur meritis hæc tria dona tuis.
Non tumulus formam; non reddunt carmina mentem;
Tam parua hoc numen non capit ædicula.
Salue igitur, Virgo ter maxima, tu quoque ſalue

Nunquam deciduis arbor opaca comis.
Vnde decus capiti, sanctæq; modestia vitæ,
Et cum Phœbeo Martius ambit honor.
Quumq; tria vnius laudes æquare laborent;
Ipsa coronandis sufficis vna tribus.

Huic nihilo ingratiores venustissimi de restituto Lauræ sepulchro à Francisco I. Phaleuci VC. Nicolai Grudij :

Rex ò magnanime, atq; amice Musis,
Qui post tempora tot fluentis æui
Nouum manibus excitas sepulchrum
Pudicæ Dominæ sacri Poetæ,
Quo Thuscus merito superbit Arnus.
Debet Laura tibi, & tibi Petrarcha:
Vnum at difficile expedire, plusque
Laura, an plus tibi debeat Petrarcha.

Regis verò pientissimi beneficium grato Laurę alloquio perennauit Salmonius Macrinus :

Franciscis ego debitrix duobus,
Quorum munere consecuta famam
Immortalem, hominum celebror ore,
At tanti tibi si videbor, Hospes
Vt veri mage debeam requirat,
Illi precipuè, potissimumq;
Regum maximus, inclytissimusque est,
Qui virtutibus hoc honorat æuum,
Atergoque duces relinquit omnes,
Qui sunt, quiq; fuere, erantq; posthac.
Altum marmore nam nouo sepulchrum
Et dignum elogium suo sepulchro
Neglectæ propè, cognitæq; paucis

Citra

Citra ſpem mihi premij excitauit,
Non olim meus hoc Petrarcha fecit.

Sed de Lauræ monumento ſatis. Cuius laudem etiamſi nulla ſermonis maieſtas exæquat, quædam tamẽ Elogia eius Virtuti dicata preterijſſe religionem putabo. Vobis igitur Antiquitatum cultoribus primo loco ex libello Gabrielis Simeonij ſpectancta offero Numiſma plumbeum, cuius hiſtoria pridem ex Golnizio adducta.



Monumentum hoc plumbeum merito excipit aurea diſertiſsimi Ioan. Paſſeratij Suada.

Aura tibi canitur . . . .
Quin etiam (ignoſcas Tuſcorum maxime Vatum)
Aura tuæ nomen dederat, non Laurea, Lauræ.

Nec Lauræ noſtræ laudes ſiluit,

toto diuiſus licet orbe Britannus,

alter noſtri ſeculi Martialis Ioan. Ouuenius lib. 2.

Semper dum tua Laura legetur, lis erit, vtrum
Tu Laura, Lauro dignior anne foret.

Tan-

Tãgit etiam Lauræ celebritatem Laura Cereta Brixiana Ludouico de Leno auũculo ſuo ſcribens: *Nec putes, quod pro tot dulcibus ſtudij ſudoribus Auguſti mihi, aut Mecœnatis præmia ſpoſponderim. Noui ſatis, quid ferat Principum rapax eruſcatrixq; cupiditas: Ego potius omnem miro inſumpſi operam mihi, vt Lauræ nomen miro Petrarchæ præconio cantatum nouior altera in me cuſtodiat æternitas.* Cætera eruditæ huius Cl. Fœminæ in Epiſtolas digeſta fauente Deo è meo Muſeo aliquando publica erũt. De hac noſtra quoque benemeritus eſt Bartholomæus Burchelatus qui in Com. rerum memorabilium Hiſtoriæ Taruiſinæ quædã collegit. Obuia ſunt Laurentij Pignorij Carmina, depicta in Atrio Arquadę publico, vulgo la Loggia, ſub Imaginibus LAVRÆ & PETRARCHÆ quę teſtatũ idipsũ eunt:

Carmine Laura tuo facta eſt diuine Petrarcha
Notior Eois, notior Heſperijs.
Porro illa eximiæ perfecit munere formæ,
Vt caneres ſanctis carmina digna Deis.
Ne ceſſate bonos pulchræ redamare Poetas,
Damna etenim occidui nominis hi reparant.
Vos cauti Vates pulchras redamate viciſsim, vt
Concilient veſtris ſæcula carminibus.

Affectum amplius adhuc in Miſcellaneis Elogiorũ ſuorum verſus Lauræ virtutem ita oſtendit idem.

MEMORIAE RESVRGENTI
FRANCISCI VATVM POLITISSIMI
E T
LAVRAE PVELLARVM FORMOSISSIMAE
Laurentius Pignorius
Sobriæ & caſtæ antiquitatis

Supra

Supra fidem admirator
Genio fauente
posuit.

Tandem noſtræ huius laudes claudet ingenio & morum probitate iure primus Ioſephus Maria Suareſius Epiſcopus Vaſonus gemino hoc Epigrammate ad me Roma humaniſſimè tranſmiſſo.

Hic ſita Laura, leues Nymphæ, doctæq; ſorores
Virginea aſsiduis floribus oſſa fouent.
Italici Vates, studioſaq; turba Petrarchæ
Nympharum immiſti, Pieridumq; choris.
Ferte roſas plenis calathis, cineriq; beato
Inijcite, at caſta, Laurea ſerta manu.
Grata roſa eſt Laurę, teneri flos ille pudoris,
Atq; vetuſtatis ſymbolon eſſe ſolet;
Gratior eſt Laurus, de Laura multa canendo
Lauriuorus meruit Lauriger eſſe procus.

Aliud.

Aurea Laura lyra Thuſci notiſsima Vatis
In laruam verſa eſt pallidulam horridulam;
Et modò qui ſupereſt formoſo è corpore puluis
Nil à deformi puluere diſtat anus;
I Virgo, & formam iacta, quæ lubrica fallit,
Et ſimul ac ſurgit non reditura cadit.

Eximiam verò formæ dignitatem, quæ in prefixa Laurę effigie enitet, Franciſco Viduę Iuris & Antiquitatum notitia Cl. eò maiori veneratione debebit poſteritas, quod certum ſit ex Icone depictam, quam Simeonis Senenſis manu Illuſtriſsimi Columnenſes Petrarchę dono in delitijs habuere.

IVSTINAE LEVI PEROTTAE CVLTVS IN PETRARCHAM.

Cap. XVII.

SED neque mihi videtur hoc loco prætermittenda Petrarchę felicitas, quę illi ab eruditissima alia quoque fœmina contigit. Ingens operis argumentum ad promerẽdam Apollinarem Lauream Francisco Petrarchæ LAVRA quidem extitit : at non minorem famæ splendorem Clarissimæ alterius fœminę virtus planè nobilis illi contulit, dum ab eodem accepit. Hæc enimuero supergressa muliebris ingenij aleam, suorum temporũ inuidiam, vel nostri Poetæ testimonio, etiam deuicerat. Verum ætas illa maximarum virtutum haud curiosa, dũ huius fæminę patriam, nomen, familiam, ad posteros transmittere omisit, penè amisit. Sepultam Auctorum illius qui silentio tantę virtutis famam doluit prior omnibus, cum adhuc rebus prœesset humanis Clemens VIII. Sapientissimus Pont. qui, vt fragmenta quædam prægustauit Etruscorum Carminum, quibus illa cum Romanũ Pontificem Auenione tunc temporis sedentem ad ruentis Italię vastitatem arcendam humillimè Romam euocabat, tum eumdem Petrarcham tamquam Apollinis

Ora-

Oraculum consulebat, pergeretne per eam, quam ceperat, literarum viam ad templum immortalitatis, spretis illorum latratibus, qui eam reuocabant, an sexus imbecillitati obsecuta ad colum & fusum à calamo & Musis rediret. Cum inquam hasce reliquias publici saporis esse Pontifex intelligeret, atque è parui operis tanquam è vestigio magnitudinem mentis argueret, mandauit Antoniano, qui tum Pontificij cubiculi præfectus, mox purpuram suę virtutis splendore illustrauit, vt quæ ad reparandam huius Fœminæ de litteris pręcellenter meritæ memoriam facerent, luci vindicaret. Is, vt erat in omni Scriptorum genere versatissimus, cum ingeniosarũ mulierum exemplum hoc nobile ex probatissimorũ Auctorum testimonijs Saxoferrati natum sciret, Odoardum Santarellum tunc quidem Sanctiss. Pontifici à supplicibus libellis, nunc vtriusque signaturę Referendariũ eximium rogauit, vt qui originem Saxoferrato debebat, hanc patriæ gratiam referret, publicas tabulas, priuatasq; inspici diligenter curaret, num ex illis vllum affulgeret lumen, cuius familię lectissima mulier extitisset, quę suis ingenij monumentis Iraliam omnem, nedum patriam, nobilitare potuisset. Verum Santarellus, an in eo felici fato? quamquam eius rei cupidissimus, vllo labore nihil vnquam detexit, quod mihi ne quærenti quidem sese obtulit, excusationem impetrauit facile, cum apud Clementem tum apud Antonianum, ab antiquitate & Tyrannorum furore publicas tabulas sępius inuadente. Illi verò non dolere non maximè poterant, tam Fæminã hanc debito laudis pręconio, quam Rempublicam literariam cæteris illius eximijs ingenij partubus fraudatã.

Sed, vt quod sentio, liberè aperiam, eadem sępius est sublimibus ingenijs fortuna, quæ multis fluminibus, quæ subterraneos per tramites vbi diù cucurrere, erumpunt confestim, vbi minus cogitas. Ita nõnumquam decora ingenia posterorum inertia, diù sepelit, verum vbi existimantur extincta, momento temporis in hominum mentibus cęlestis consilij prouidentia reflorescunt. Huius rei exemplum in hac eadem Fœmina, qua de nobis oratio nunc instituitur, operæ prætium est intueri. Ergo IVSTINA de LEVIS PEROTTA, vetere & illustri Oppido, quod Saxoferratum vocant, orta, Andream de Leuis Perottum Clarissimæ & antiquissimæ stirpis Patrem habuit. Hanc autem eandem esse familiam de Leuis, quæ in florentissimo Galliarum Regno, post genus Regium primos honores nobilitatis in hanc vsque diem retinet, cum tabulis vetustissimis, tum literis eorundem Nobilium de Leuis è Gallia Romam missis ad TORQVATVM PEROTTVM S.D. N. Vrbani VIII. ab interiori quondam cubiculo nunc vero Amerini Episcopum, quibus illum vnius secũ eiusdemq; radicis & familiæ ingenuè agnoscunt, manifestissime peruincitur. Et licet Illustriũ Virorũ copia hæc semper floruerit, Andreas tamẽ & Nicolaus Perotti emicarũt inter cęteros, tamquam duo lumina. Nicolaum Perottũ pręter lauream, qua illum ob insignem Poeticæ & Oratoriæ facultatis laudem Fridericus huius nominis Imperator Tertius, cui postea fuit à consilijs, Bononię decorauit, clarissima virtutum merita ad Siponrinum Archiepiscopatũ euexere, Doctissimoq; Card. Bessarioni charissimum reddidere. At virtus Andręę periculosissimis temporibus probata est. Agitabatur tum instar maris æstuã-

tis

tis Italia turbulentiſſimis procellis hominum ſeditioſorum,qui pyratarum more in eam partem,quæ Pontificię dominationi ſubeſt, impunè bacchabantur. Quot Vrbes,tot Tyrannides inſtiturę. Denique coactus Pontifex Innocentius Sextus,qui Auenione morabatur, naufraganti prouinciæ opem aliquam ferre, Aegidium Card. Albornotium ſcientia rei militaris, virtute, conſilio, auctoritate,animi & corporis robore, felicitate, poſtremò numeris omnibus abſolutum in Italiam cũ Imperio direxit. Is vt in prouinciam venit, Andreæ Perotti opera cum in totius belli decurſu,tum eſt vſus præcipue in extructione Arcium,quæ hac etiam die Saxoferrati viſuntur, vt nulla omnino ſpes Caſtri potiundi relinqueretur Attis, qui Oppidum illud Tyrannorum more diù occuparant. In huius igitur Viri Doctiſsimi ac fortiſsimi ſinu felici magiſterio educata eſt IVSTINA Perotta, Poeticę artis egregium decus,quæ cum per ætatem puerilem ſapientioris Mineruę ſtudijs inhęſiſſet,breui eo peruenit, vt apud Petrarcham limatiſsimi Iudicij Virum merito adepta ſit laudẽ & locum a Boccacio primum. Lætatus ſiquidem incredibiliter eſt Muſarum amiciſsimus Vates, filiam Nobiliſsimi hominis & amiciſsimi ſui poeticę gloriæ laurum tamquam arbori familiæ ſuæ inſerere, & antiquarum mulierum, quę literas ſuis virtutibus illuſtrarant,exempla pręclariſsima renouare.Quorum vt certius argumentum habeas,en Amice lector Carmen,ab eodẽ Torquato Perotto ſingularis doctrinæ & humanitatis Viro ad me miſſum,apud quem extant etiam tabulę antiquiſsimæ, & omni fide digniſsimæ rerum omniũ,quas hic curſim narraui.

Sonetto di Madonna Giustina Leui Perotti da Sassoferrato à M. Francesco Petrarcha.

Io vorrei pur drizzar queste mie piume
Colà Signor, doue il desio m'inuita,
E dopò morte rimanere in vita
Col chiaro di Virtute inclito lume.
Mà il volgo inerte, che dal rio costume
Vinto, hà d'ogni suo ben la via smarita:
Come degna di biasmo ogn'hor m'addita,
Ch'ir tenti d'Elicona al sacro fiume.
All'ago, al fuso, più ch'al Lauro, ò al Mirto,
Come se qui non sia la gloria mia
Vuol c'habbia sempre questa mente intesa.
Dimmi tu hormai, che per più dritta via
A Parnaso te'n vai nobile spirto.
Dourò dunque lasciar si degna impresa?

Cui Petrarcha, vt me docuit laudatus modo Episcopus Perottus sic pariter respondit.

La gola, e'l sonno, e l'ociose piume.

Reliqua in eius operibus. Verè, ac nimis verè. Nihil tamen minus sua sorte contẽtus Poeta gratum Musis secessum ex destinato vbicumq; terrarum affectasse videtnr.

DE

DE SOLITVDINE PARMENSI.

Cap. XVIII.

RElictis Gallię delicijs, alteram ſibi ſolitudinem Parmę ſtatuit PETRARCHA, extrà vicũ S. Michaelis domum nactus ab omni populari concurſu remotam propter ædes D. Antonio Abbati & Anachoretæ ſacras. Percepimus id ex ipſius ſcriptis in quibus domus eius mentio non obſcura. *Poſt continuis diebus quotidie aliquid ſcripſi donec Parmam rediens, & repoſtam ac tranquillam nactus domum: quæ poſtea empta, nunc etiam mea eſt.* Cogitaſſe quoque crediderim de eadem Poetam noſtrum, cum Barbato Sulmonenſi Epiſtolarum Lib. III. in hæc metra ſcriberet.

Rus mihi tranquillum media contingit in Vrbe
Rure vel vrbs medio, ſic prompta frequentia ſoli,
Promptus & in latebras reditus, dum tædia turbæ
Offendunt, hos alternos vrbs vna regreſſus,
Hos dedit vna domus, ſenium quæ pellit in iram:
Nam deſiderium valuas tranſgreſſus abundè
Lenio, ſemper adeſt oculis, animoque viciſsim
Quod placeat, poſsit quæ graues auertere curas

Rurſus,

Rursus, & vt strepitus pertæsum limen amicum
Transeo multa vno fugiens fastidia passu,
Et querulum obuerso secludens cardine vulgus
Hic mihi tanta quies, quantam nec valle sonora
Parnassi nec Cecropiæ per mœnia villæ
Inuenit studiosa cohors, heremoque silenti
Vix Aegyptiacæ ciues, nisi fallor, arenæ
Angelici sensere patres. fortuna latenti
Parce precor, paruoque volens à limine transi,
Et Regum metuenda fores inuade superbas.

Domus hęc visitur adhuc vndequaque hedera circumsepta, quæ fores superiores paruas in primis operit, & coronat. Herum nunc illius esse accepimus, nescio quem ex familia Bergonzia vti me docuit Vir Cl. & Eruditissimus FLAVIVS Quęrengus qui sæpe illam, ac sæpius inuisere consueuerat, dũ Parmæ degeret in aula Farnesiorum Ducum. Siquidem hanc illi Sereniss. RANVTIVS Parmæ Dux Quartus, in sermonibus de Petrarcha secũ habitis indicauit, & eundem pari solitudinis amore succendit. Iacet illa procul non tam ab aulis publicis, quã ab ipsis quoque priuatis domibus aliorum, sola prorsus, & secessum amantibus hospitium gratissimum præbens, vti mihi testis idem oculatus exposuit. At ne multis eã coner exprimere, quisquis FLAVII nostri domum inuisses, Parmensem illam PETRARCHÆ solitudinem oculis vsurpabis. Quęrengus enim Comes, magni illius Antonij ex fratre nepos, solitudinis amator & cultor, sacri otij delicium, Cathedralis Ecclesię Canonicus, Philosophię Moralis publicus Interpres, Musarum filius, ęquè virtutibus, ac literis exornatus inter hortorũ

amęna

amœna ſedem ſibi planè ſimilem delegit, nec longè poſitam ab ęde ſacra D. Antonij de Viēna, ibique vitam trā-quillam, & felicem ducens, id demum eſſe docet viuere, ſibi, Muſis, & Deo viuere immortali.

Fuit & in agris Parmenſis Diœceſis locus *Siluæ* nomine, quę *Plana* dicitur à noſtro Petrarcha cultus, vt ipſemet ediſſerit in Epiſtola ſepiſſime laudata . *Cum die quadam in Montana conſcendens forte trans Entiam amnem Reginis in finibus* SILVAM, *quæ plana dicitur, adijſſem, ſubito loci ſpecie percuſſus ad intermiſſam Africam ſtilum verti, & feruore animi, qui ſopitus videbatur, excitato, ſcripſi aliquantulum die illo, poſt continuis diebus quotidie aliquid .*

Deſcriberem hanc etiam Vatis noſtri ſolitudinem, niſi ſatis eſſent ea quę ipſemet de amœniſſimo iſto loco cecinit lib. II. Epiſt. ad laudatum ſuprà Barbatum Sulmon.

Me dextera Regis
Ripa Padi, lęuumq́ patris lacus Apennini,
Aruaq́ Pontifrago circum contermina Parmæ
Nunc reducem expectant planęq́ umbracula Siluæ
Namq́ ibi Pierius gelidum me contigit ardor.
Africa noſtra mihi longum intermiſſa iacebat,
Exciuit locus ingenium, lapſumq́ repente
Reſtituit calamum memini, me nulla profectò.
Ingratum factura dies ſtat colle virenti
Silua ingens, planęq́ tenet, licet ardua, nomen.
Hic ſolem procul aerijs auertere fagos,
Ac teneras variare ſolum concorditer herbas
Menſibus æſtiuis videas, hic brachia cancri
Temperat vnda recens, atq́ ora iubamq́ Leonis
Dulces vicinis feriunt ex montibus aurę.

Impeu-

Impendent iuga celsa super, cælumq; lacessunt.
Gallia sub pedibus iacet Itala tota sedenti.
Contra autē Hesperiæ cernuntur terminus Alpes.
Mille nemus volucrum species, ac mille ferarum
Circūeunt, habitant sacrum, gelidusq; per umbrā
Fons ruit, irriguo pubescunt gramina flexu,
Florens in medio chorus est, quem cespite nullo
Erexit manus artificis, sed amica Poetis
Ipsa suis natura locum meditata creauit.
Hic auium cantus fontis cum murmure blandos
Conciliant somnos, gratum parat herba cubile,
Frōde tegunt rami, mons flamina submouet Austri,
Horridus hunc metuit pedibus violare subulcus.
Rusticus hunc rastris, digitoq; hunc signat & alto
Siluarum trepibus veneratur ab aggere custos.
Intus odor mirus statioq; simillima campis
Elysijs, profugisq; domus placidissima Musis,
Deferor huc solus furtim, socioq; fefelli.

Locus hic quam Poetę genio & Musis fuerit aptus, abūdè quidem hinc patet: nullum tamen apud eum solitudinis desideriū tanti erat, quin luce publica ciue grata delectaretur. Patauij tunc florebāt Carrarienſium auſpicijs omnis generis literę, maximiq; ingenio Viri, quos fouebat Principum benignitas. Vates igitur noſter, quod erat, ſecū cogitās nō defuturū ſibi ſuiſq; Muſis ad vota inter ſtrepitus Vrbanos otiū, excitus Patauiū, fortunę obtemperauit. Quam nactus ibi fauentem, ſuburbanum in Euganeis ſeceſſum grauiori ętate delegit.

A R-

ARQVADAE COLLIS VICVS ET PETRARCHAE DOMICILIVM.

Cap. XIX.

VIAM ſternit ad Euganeos Arquadę Colles ARQVA vulgo, *Arquada* peritioribus pro Arcadia, voce paululum immutata, dictus, quòd is inter colles proximos haud ſecus emineat, & excellat amœnitate loci, leniſſimis auris, blando mitique Cęlo, perennitate fontium, vbertate fructuum, alijſque Naturę delicijs, ac in Peloponenſi regione Arcadia pridem, toto terrarum Orbe celeberrima monumentis veterum & recentum. Adiacet Arquadę colli ARQVADA Vicus Montemſilicẽ, Martis olim aream & aulam Imperij, ſublimis eſt, apricũ ſpectans. Cęterùm ab vtroque latere & à tergo collibus circumiacentibus reliquis ſeptus, inter Ortum & Occidentem diuitias ſuas aperit, allicitque amica capita, quibus omnis amœnitas adblanditur. Ab ea nempe Cęli parte influxus & auram hauriens morienti Soli funus aſtra ducentia nequit aſpicere, & indultu naturę blãdo minas ętheris ſpernens ęternum beat, dum illic ferè

semper ac serenum est Cælum, vernũ fere semper ac nitens solum . Manat eiusdem è summo vertice illinis aqua,defluens sensim ad talos imos fontem efficit,quem infra dabimus intuendum. Vberes ibi terrę glebę passim, & ipsa quoque saxa sponte sua feracia commodis incolarum . Halant prata floribus , superbiunt iuga fructibus, & Vinetis; luxuriant agri segetibus & canescunt. Dicere situm illic Amaltheę cornu cuncta suppetere , simul illic inhabitare Bacchum,Cererem,& Pomonam nec abesse Mineruam cum olei copia latissimè affluat , vinique dulcedine collibus omnino reliquis antecellat . Patauio huc tendentibus ad læuam occurrit lacus oblongior non vsque magnus, mirę tamen profunditatis,quẽ indigenę vocant la *Solana*,qui quantumuis hac de causa piscationibus parum opportunus,sapidissimos tamen nutrit pisces, quodque dictu mirum Cephalos mari cæteroquin peculiares . Quod neque Cl. Pignorius omnis quidem antiquitatis,patrię verò raritatis,studiosissimus in Epistolis Symbolicis Epistola XIV. *Marco Velsero II Viro Augustano* inscripta preterijt. Quamquam Viro maximo in eo assẽtiri nõ possim,quod è sinu Veneto per cuniculos eo piscis marinus accedat , cum certum sit ipsum per Brentæ riuulum huc ferri . Addo & ego vicinam huic aquę thernalis scaturiginem,quę non alijs hodie vsibus quam alitibus deplumandis aptatur. Accedit his incolarum probe valentium vigor,& studium, quibus terra cum fœnore sit respondet,vt Collis ille Euganeorum omnium Pomarium habeatur , fœcundissimum . Habet idem Basilicas insignes duas Parochialem Archipresbiteralem vnam D. Mariæ sacram, & opimis satis redi-



reditibus abundantem, alteram ad Plateam, quæ Vicarij Palatium, siue Forum tangit. Palatia inibi quoque multa, Venetis Patauinisque nobilibus habita. In medio foro columna cernitur aureato Leone Ser. Reipublice Venetæ symbolo tutelari fulgens & hac inscriptione.

Hyeronimus Bonmartinus Vicarius fidei totius huius Populi in Serenissimam Rempublicam Venetam etiam ex hoc loco testandæ causa sumptu Publico & suo statuit. Anno Salutis 1612.

In summæ nostræ, ac fidelissimæ deuotionis erga excelsam inuictissimamque Venetam Rempublicam Principemque nostrum Serenissimum testimonium

Io. Baptista Saxio à Monaco iterum Vicario 1622.

His omnibus illustris Arquada vicus, nulla re tamen celebratur magis quam Domo, & Tumulo Petrarchæ nostri. Huius enim ergo magnis Hispanorum, Gallorum & Germanorũ concursibus celebratur, eorumq; magna pars qui Patauij bonis artibus operã nauant eò cõuolat.

Nec vidisse semel satis est, iuuat vsq; tueri

tanti thesauri conditiuum. Cuius denuo exemplar habes à penicillo Hieronymi Dauid, sed ligno sculptum in Typographi gratiam, distinctiorem Vici prospectum prębẽs eo quod in operis frõtispicio est, quãuis ibi Poetę Domus quã hic conspectior. Ab eo sanè pręcipuam Arquadę laudandę materiã Scardeonius duxit Lib. I clas. 1. pag. 18. *Est Arquadum Collis apricus, & amœnus, atque cultissimus vino dulcissimo abundans, sepulchro illustris Poetæ Franc. Petrarchæ celeberrimus, & à studiosis scholaribus frequentatus, nec minus à plurimis decantatus, vbi in Cœmiterio*

rio ſub dio ad eius ſepulchrum æneum caput ad illius imaginem conformatum viſitur cum inſcriptione. Viſitur inibi quoq; Petrarchæ Domus varijs Iconibus exornata, nec non Porticus, in qua vt in reliquis agri Patauini Vicis, Ius populo dicitur, in quo Inſcriptiones diuerſæ olim extabant. Ad radices Colli Vicique largè ſcatentes riuuli fontẽ vberrimũ producunt, cuius lympharum intuitu in ipſo ſtatim ingreſſu oppidi mirifice recreantur aduenæ, leni illas murmure contemplati per lapillulos niueos quaſi per argenteum alueum decurrentes. Eius porrò fontis latitudo eſt pedum nouem, altitudo pedum octo & vnciarũ triũ. Fons demũ carminibus inſignitus, cuius Iconem in Curioſorum gratiam hic damus. In quem elegantiſſimè luſit Cl. Vir Marcus Antonius Romitus, Iuris Ciuilis peritia bonarumque literarum cognitione apud Venetos magni nominis.

Lumina vix puero naſcenti adaperta Petrarchæ
Vix tenero vitæ limina preſſa pede,
Cum mihi perpetuos, vt primum adoleuerit ætas,
Hæc debent luctus lumina, dixit Amor.
Ecce, vbi tempus adeſt, lachrymæ labuntur amaræ
Continnò ex oculis more perennis aquæ.
Scilicet obijcitur iuueni pulcherrima rerum
Perpetui fletus cauſa puella ſui.
At longos miſerata nimis Libitina labores,
Pallenti clauſit lumina feſſa manu.
Riſit Amor, furtim & ſubductos condit ocellos
Non procul à tumulo, magne Petrarca, tuo.

Iuſsit


Fonte Numen inest, Hospes uenerare liquorem
Vnde bibens cecinit digna Petrarcha Deis.
F. P. V. A. M. C.

Iussit & irriguos lympha manare perenni,
Fallere & vrentes cætera membra rogos.
Splendide fons, miseros semper testabere amantes
Ponere nec lachrymis funere posse modum.

Patet hinc à læua breuis ascensus & facilis ad Parochialem ædem, cuius in area Poetæ nostri Tumba extat, quã alibi spectandam dabo; à dextera eius via plana, solidaque, deducens ad culmen montis, vbi diruti Castri veteris rudera adhuc reperiuntur. Aedem vetustate labantem paucis abhinc Annis reparauit Archipresbyter Io. Dominicus Cola, & Etruscis inscriptionibus vndiq; decorauit; Quas pridem nouitatis studio dealbatis parietibus mortalium notitiæ subtractas monere debui. Nec vllum hodie vestigium magnifici istius Pontificij diplomatis, quo ampliſſima Apostolicæ Indulgentiæ munera ijs concedebantur, qui PETRARCHÆ Manibus benè precati, quodque duodenis sigillis se ibidem affixum vidisse fidem mihi fecerunt Viri omni fide digni Laurentius Pignorius, Martinus Sandelius, & Felix Osius communi grassantis pestilentiæ seuitia Anno 1631. sublati, quique adhuc Dei benignitate superstes meus frater Paulus Tomasinus I. C. Id ipsum quoque fama acceperat Vir omni studio digniſſimus ob singularem animi probitatẽ cum insigni eruditione coniunctam IOAN. BAPTISTA AGVCCHIA Archiepiscopus Amasiensis Sanctiss. VRBANI VIII. ad Sereniſſimam Remp. Venetam Nuncius, quicum humaniſſimus Vir Crescentius Saccardus ipsi à secretis & ego Arquadam secedentes eius videndi spe frustrabamur. Cuius iacturam æquo animo ferentes, Clariss. Virorum testimonijs subnixi Summum

Pon-

Pontificem Poetæ idem non sine exemplo concessisse arbitramur. Sic enim Bibliotheca Hispanica de Aegidio Albornatio: *Summus Pontifex hoc tribuit eius meritis, vt quicunque lecticam quantulocunque spatio supportaret, peccatorum remissionem perindè consequeretur, ac si Anno Iubilei Apostolorum Petri & Pauli ædem inuisisset. Quod officium Aegidio cum locupletissimo ipsius meritorum testimonio ab Henrico Rege, qui Petro fratri à se interfecto successerat, suisque purpuratis præstitum accepimus.* Horum quidem omnium, quę Petrarcham concernebant, non mediocri diligentia collegerat aceruum Parochus: sed ea ipsius morte tam variè distracta, vt mihi etiam auctoritate publica apud hæredes de ijs inquirenti nihil prorsus obuenerit. Reliquæ autem Inscriptiones saxis incisę, quæ foris in Sacrę Aedis parietibus legũtur, suo loco patebunt. Legebantur & in parietibus Porticus alterius Basilicæ carmina quædam ijsdem ab Aduenis inciſa, sed ista pariter indigenarum inscitia deleta sunt, vno tantum Epigrammate superstite, in amantium LAVRÆ & PETRARCHÆ effigies, quod cultissimi & elegantissimi Laurentij Pignorij Canonici Taruisini esse diximus Ca. XVI. Iacet autem in Arquadę vertice versus colles peramænos inter Vireta, & Siluas nõ lõge à Foro Vatis nostri DOMVS vera Charitum Musarũq; sedes, totius Vici ornamentum, quam ambiunt prata virentia vitibus consita, ad radicẽ rupis ipsa floresque amœni sese in eiusdem obsequium insinuant. Stat prospectus Vallis; stant obiectæ incolarum domus, vndique aspectus varius, & iucundus. Area eius spatiosa satis cisternæ commoditate gaudet: adiacet hortus, quem excipit mediocre vinetum. Dignum hę-

rede

tiæ Epigrammata reliquit. Quæ M. Antonij Gabrielis prouidentia ſaxo ibidem inciſa hæc extant.

Etruſcus gemino Vates exarſit amore,
Maximus ignis Ego, Laura ſecundus erat.
Quid rides? diuinæ illam ſi gratia formæ
Me dignum tantum fecit amante fides:
Si numeros, genium q; ſacris dedit Illa libellis,
Cauſa Ego, ne ſæuis muribus eſca forent.

Aliud.

Arcebam ſacro viuens à limine mures,
Ne domini exitio ſcripta diſerta darent.
Incutio trepidis eadem defuncta pauorem,
Et viget exanimi in pectore priſca fides.

Ac tantam habuit ſemper hæc apud omnes opinionis, vt aduenæ quidam iuſto nimium curioſi eius tranſportationem moliti fuiſſent, niſi Villici induſtria collecta agreſtium manu eam recuperaſſet. Cuius rei memoriam mihi ſuggeſſit Eruditiſs. D. Carolus Auantius Philoſophus & Medicus rei herbariæ peritiſſimus, qui tunc in Montes Euganeos ſeceſſerat.

MYTHOLOGIA ICONVM EODEM SPECTANTIVM.

Cap. XX.

SAPIENTIAE mysteria fabularum inuolucris velare non solum Poetis antiquissima erat consuetudo, ne vulgo ea profanarentur, sed Philosophis quoque grauissimis, qui sua dogmata figmentis, fabellisque vestiebant, naturæ interim abdita rebus sensui obuijs propalantes. Hinc diuino Platonis decreto Lib. II. de Rep. puerilis institutionis initium honestis fabulis ascribitur, *vt animi diligentius, quam corpora ipsa manibus informentur*. Neque aliunde profluxerunt Aegyptiorum Characteres, Signa, Imagines, quorum adhuc à vetustissimo seculo gratæ apud nos reliquiæ. Quam etiam consuetudinem inter plures retinuit Mystagoga noster Etruscus, qui grauioris ætatis secessum lectissimis suo ingenio exornauit imaginibus, vt sibi viuenti essent solatio, posteris verò virtutis documento. Ingredienti itaque ipsius domum primo statim vestibulo occurrunt coloribus aqua permistis Triumphi sex, Amoris, Castitatis, Libitinæ, Famæ, Temporis, & Deitatis, artificiosè expressi, subiecto cuiuis carmiue Etrusco. Quorum Ideam

ex

ex Auctoris Poematibus huc reuocare ſuperfluum duxi, expreſſa tantum ſubſcriptione, quam appingi voluit ipſe fundi herus.

Primi Triumphi hoc legitur Epigramma.

Queſto è colui, ch'el mondo chiama Amore.

Secundi, *Con vera Caſtità ſomma beltate.*

Tertij, *Io ſon colei, ch'è ſi importuna, e fera.*

Quarti, *Raro ò neſſun, che in altra forma ſalgie.*

Quinti, *Ogni coſa mortal Tempo interrompe.*

Sexti, *Tarde non fur mai gratie diuine.*

In ſuperioris contignationis cubiculo Septentrionali, quod adhuc VISIONVM cognomen retinet, in ſummitate parietum coloribus obſoletis quatuor adhuc ſpectantur Viſiones ſine vlla inſcriptione. Prima exhibet PETRARCHAM ſub Lauro conſidentem, vnde eminus in pratis florum diuerſitate amœniſſimis feſtiuos Paſtorum choros aſpicit. Altera continet LAVRAM gemino corporis ſitu, recto, & iacente apud fluuium. Tertia oſtendit Nauem Cęlo ſereno è portu ſoluentem, quam procelloſa tempeſtas mox euertit. Quarta conſpicua eſt Phœnice ſibi pectus tundente. Quarum Mythologia, quoniam in varios trahi poſſet ſenſus, hic conſulto ſuperſedeo, aliorum ingenijs aliquid relicturus, precipuè cum præter nudam delineationem nihil habent viſu dignum. Inde in Atrium recedentibus occurrit octonarius aliarum tabularum numerus adiectis cuique verſibus Etruſcis, ex Auctoris opere depromptis. Quas ab alio quopiam in Poetę honorem poſitas vt credam, perſuadet operis forma & color: quamuis carmina Auctoris noſtri fuerint genuina. Harum quaſdam vetuſtate

I



obſoletas reſtituit poſſeſſor Gabrielius Pater. Ex quibus ſex de pariete huc transferimus, ſchemata myſterijs inuoluta porrò ſtrictim enucleaturi.

I.

Poeta igitur, dum varias recenſet ſui transformationes ſatis venuſtas nec ab ingenioſis veterum cõmentis alienas, nunquam ita à ſemetipſo mutatus videtur, vt Lauri memoriam exuerit. Et quidem oculis primùm occurrit Aquila ſupra trigam librorum erecta clangẽs, ponè quã Phebeę Lauri frondens ſurculus vireſcit: Flammam ea reſpicit è thermis exhalantem ad Colles, quibus inacceſſa imminet rupis Vicum pede ſuſtinens. De quibus ſi quidpiam diuinare licebit, crediderim ego, quod Aquila notet Poetam noſtrum in ſublimium rerum contemplationem elatum, non ſecus atque Solis radios oculo irretorto patitur Aquilæ acies: cuius elogijs veluti alis in Cęlum vnà ferebatur Laurus cæteras vitæ delicias ſua vmbra obſcurans. Sileo enutritum Lauro Vatem noſtrum diuinis ingenij monumentis totque voluminibus per Orbem ſparſis ſuos in Lauram ignes honeſtę voluntatis ſtricturis prodidiſſe: quam rupis inſtar cõſtantiſſimam ſemper in mutuos affectus candidè conſeruauit, hoc monumento.

Alzando lei, che ne' miei detti honoro.

II.

Sub frondoſa porrectaque Lauro LAVRA Vatis noſtri Amor & delicium conſpicitur, vt eam Ecloga III. ipſe deſcripſit.

Purpurea in ripa, lauriq́ virentis ad vmbram
Virgineam aſpicio, Cælo plaudente choream.

Po-

II



Ponè quam Cupido latens ignem conceptum venuſtè fouet . Petrarcha verò mutuo amantis aſpectu fixus, fulgurantis eloquẽtiæ radijs eam veluti ſuam Daphnem ita compellat:

Daphnæ noſtra quies, noſter labor atq; voluptas,
Vnam ego Te dominam, Teq; hoſtem affuſus adoro:
Tu decus es nemorum, Tu ſpes paſtoribus ingens,
Te Vates, magniq; Duces, Te Iuppiter altus
Diligit, ac iaculo refugit violare triſulco.

Iam iamque migrat in Lauri ſpeciem verſibus Italicis Iconi appoſitis. Amor nempe & Lauræ forma Poetam in Laurum traduxerunt. Cuins aſſiduo vireſcentis culto Muſis innutriti Vates Laurophagi meritò audiunt, Lauri præmio contenti. De quibus ſcitè ipſe Poeta:

Omnibus his viridi frondebant tempora Lauro.
Hic ego, diſſimili quanquam ſub ſidere ſertum,
Fronde tamen ſimili faciam tibi, porrige ramum,
Quem ſacra Caſtaliæ regnatrix tradidit almæ:
Illius hic, noſtrumq; ſimul tibi, munus habeto.
Linque alias curas, & noſter protinus eſto.

Ita veriſſimum Propertij illud:

Ingenium nobis ſola puella dedit.

Vnde inuulgatum etiam apud Græcos eſt referente in Sympoſiacis Plutarcho:

Muſicam docet Amor.

Iconi carmina adiacent.

E i duo mi trasformaro in quel ch' io ſono,
Facendomi d' huom viuo, vn Lauro verde,
Che per fredda ſtagion foglia non perde.

Lau-

III



III

Lauram ſolicitè dum quærit Poeta, ipſam in pellucido Fonte ſub vmbra Lauri ſibi delicias facientem offendit. Puella verecundiæ plena inopinato Vatis acceſſu indignata ſe turbari, aquam vola in ipſum eiaculatur, vt ſe ſimul eius oculis ſubduceret. Is vero nihilo inde mutatus purum mentis amorem conſtanter ſeruauit, licet latentis feræ inſtar in Vallem Clauſam aliquantiſper diuerteret. Fato ſanè mitiori, quam Actæon, cuius transformationem à Dianę nudatæ conſpectu ingerit ceruus, quem eminus inſectantur canes. Senſus nempè animique motus incompoſiti mentem corporeis voluptatibus illaqueatam ſæpe laniant & conficiunt. Totum elegantèr Poeta expreſſit.

Stette à mirarla, ond'ella hebbe vergogna,
E per farne vendetta, ò per celarſe,
L'acqua nel viſo con le man mi ſparſe.

IV

Cygnus Apollini Poetarum Præſidi ſacer atque Muſis Petrarcha ſecus fluuium Sorgam per amœna deambulans, vndique collibus virentibus circumſeptus, ſolitudinis veræ cultor, iam non vt Iuppiter in Amycleo conuerſus amoris illecebris frueretur; ſed auerſum Cygnum veluti fugientem inſequitur, vt non tã cantu ac querula voce, cui inſenuerat, laborioſi amoris fatum defleret, quã cano capite inſtar Regis Liguriæ tactũ à Superis Phaerontem anſerinis plumis tandem indueret. Amoris nẽpe ſenilis pœnitudinem innuit Vates. De quo ſic Ouidius:

Iam mea cycneas imitantur tempora plumas.

IV



Emblematis mysterium viuis verbis reuelauit Vates:

E giamai poi la mia lingua non tacque,
Mentre poteo del suo cader maligno:
Ond'io presi col suon color d'vn Cigno.

V.

Poetæ Interpretes hic varij sunt, nec pauca de huius figmenti occasione nata ex indignatione pro suo ingenio comminiscuntur. Mihi sanè tutissimum fuit Vatis ipsius mentem sequi, quam ille sic aperuit:

Mi volse in dura selce, & così ancora
Voce rimasi dell'antiche some.

Nimirum Medusæis veluti in speciem indignantis Lauræ oculis in duram silicem versus Poeta amorum pertoesus relicto corpore *Vox manet* Lauræ nomen perpetua eius memoria ingeminans. De quaipse,

Chiamandomorte, e lei sola per nome.

VI.

Postquam igitur fati asperitatem assiduis suspirijs incussasset cygnus ille Phœbeus, Laura ijs mota cor ei animũq; tot querelarum fontem eripit, indicto minis silentio, moxque diuersa apparet specie, gratiosa nempe & comi. Poeta itaque simulatam indignationem cum inde collegisset, Lauram serio quidem, animo tamen pauido, denuo adoritur. Quod ipsa indignè ferens ad primum reuersa ingenium sic eius mentem perculit, vt saxi instar obstupescceret. Rem tamen integrè Iconi non subiecit Pictor, qui dulcem Vatis pœnam suppressit.

Questa, che col mirar gli animi fura,
M'aperse il petto, e'l cor prese con mano,

V



VI



Dicendo à me, di ciò non far parola;
Poi la riuidi in altro habito sola.

Sed relicta cuiuscũq; cõtemplationi eius loci amœnitate, quę orationis angustiam excedit, ad Poetam redeamus.

POSTERITAS.

Cap. XXI.

LORENTE ætate natam fuisse Poetæ filiam plerisque notum est, publicisque monumentis satis testatum. Obscurior tamen eius est ortus. Vnus hic Squarciaficus refert Oratorem & Historicum Cl. Candidum Decembrem sibi narrasse, quod à patre suo Petrarchæ contubernali accepisset, Poetam, Mediolani dum esset, secessisse in Vicum Vrbi vicinũ, qui Linternũ dicebatur, vulgo corruptè Infernũ, vbi ex familiari cõsuetudine fœminę clarissimę de Beccariorũ domo illius amore capta susceperat natam elegantis formæ atque indolis, cui inditum Franciscolæ nomen. Hæc nubilis Francisco de Brosano Mediolanensi filio quond. D. Amicoli Portæ Vercellinæ in matrimonium tradita feliciter cũ illo vixit Annos decem, Velutello & Gesualdo testibus, Patrique super viuit; quamuis verba testamenti Petrarchæ quibus Anno 1370. Franciscolũ hæredem instituit nul-

nullam filiæ mentionem. Poeta nempe vita excessit Anno 1374. filia vero 1384. quemadmodum in Hist. Taruisinæ Lib. X. pag. 575. disertè notauit Cl. Vir Io. Bonifacius Historicus & I. C. insignis, de patria benèmeritus. Lectissimæ Matronæ Epitaphium præter Bartholomæum Burchelatum Lib. II. Mem. Taruisinæ Historiæ vulgarunt diuersi Itinerum Italicorum scriptores, cuius Ectypon hic damus ex eo quod Taruisij in strato marmoreo ad D. Francisci ostium australe conspicitur, vnde ipsam multis filijs aliquandiu editis in partu tandem excessisse colligitur.

FRANCISCÆ PARIENTI PEREMPTÆ
FRANCISGI PETRARCHÆ
LAVREATI FILIÆ
FRANCISCOLVS DE BROSSANO
MEDIOLANENSIS MARITVS.

Conspicitur etiam in Tabula marmorea inibi monumẽtum hoc Franciscolæ alloquio omnem fermè eius vitæ seriem tradens.

Tusca parente pio, sed facta Ligustica dulci
Coniuge, iam proles plurima clara fuit.
Nulla magis seu fida Viro, seu subdita Patri,
Seu magis externæ nescia lætitiæ.
Nomen erat FRANCISCA *meum, studium sed honestas.*
Dos mea simplicitas, & sine labe pudor.
Me mea sors variè puerili vexit in æuo,
Hic immota quies, hic mihi certa domus.
Iam Matrona quidem, sed adhuc florentibus annis
Eripior terræ, restituor q́ polo.

Quam charè eam habuerit Franciscolus coniux, ex tam splen-

splendida memoria satis conijcitur . Quantis verò ingenij dotibus ipse fuerit laudatus modo indicat Bonifacius, qui eum iure ciuitatis donatum asserit, vt merito generi& charissimi filij titulo à Poeta nostro honestatus fuerit: Filius inter cæteros, qui Franciſci nomine infans obijt, quã fuerit egregia forma & Petrarchę simillimus ex Epistola IV. Lib.X. Senil. consolatoria ad Donatum Apennigenam Grammaticum super illius filij, suique simul Nepotis immaturo obitu conspicuum est. Vbi sic ille. *Ego filium desidero, tu nepotem.* CHRISTVM *enim & amicitiæ fidem iuro plus me illum amasse, quàm filium. Non illum ego, quid ad rem, at mei genuerant, Franciſci, qui vt nostri, per se quisque non minus, quam ego ipse animo meo chari sunt. Ita ex duobus longè mihi charissimus progenitus, duplo mihi erat charior, quam si ex me genitus fuisset. Tu antiquum ac præclarum tuo nomen, nos nostro humile ac domesticum dederamus, imo vtrumque tu dederas, tuus Solon magni si fors sineret profectus auguriũ, noster vtriusque parentis, meumq; simul nomen nactus erat, ita & solatium vitæ ingens, & spes domus ac iucunditas, & nobis tribus, quartus iam Franciscus accesserat Obtigerat illi credo, vt hinc acrius dolorem & ingenium & formæ rarum decus, regium diceres infantem. æquaturus apparebat formæ gratiam paternæ, sed victurus ingeniũ, quod deterrimum in illo dixerim, sic me ore referebat, vt ab ignorantibus matrem prorsus ex me genitus credi posset.* Et paulo post: *Cum vix esset anniculus, in illius vultu meam faciem te vidisse, & hinc nescio, quid magnæ spei iam tunc animo concepisse memini. Quæ quidem similitudo, in tanta ætatum distantia, tam insignis, ipsis quoque parẽtibus chariorem, eumque atque omnibus passim charum, sed in primis magno illi Li-*

li Ligu[illegible] Domin[illegible] tam acceptum fuerat, vt qui paulo ante, ſui vnici infantis interitum ſiccis oculis ſpectaſſet, noſtri obitum ſine lachrimis vix audiret . Quoniam vero gratiam aliam referre mortuo non licet, quam ſtatuæ aut ſepulchri, quid hic præſtiterit Poeta, porrò audiendus: *Omnem meæ fragilitatis hiſtoriam, vt noris, buſtum ego marmoreum illi infantulo apud Ticini Vrbem, biſſex Elegis inſcriptũ literiſque aureis exaratum ſtatui, quod vix alteri facerem & mihi ab altero fieri nollem* . Affectus adeo teneri cauſam more ſubiungit: *Hoc illi gratum volui, non cauſam lachrimis, vt Maro ait, ſed memoriæ non tam meæ, cui nec ſaxo, nec carmine opus erat, quam eorum, quos illuc caſus attulerit, vt ſciant, quantum ille ſuis ab ipſo vitæ principio charus fuit* . Elegia hęc eſt:

Vix mundi nouus hoſpes eram, vitæq́ volantis
Attigeram tenero limina dura pede:
Franciſcus genitor, genetrix Franciſca, ſecutus
Hos de fonte ſacro nomen idem tenui:
Infans formoſus, ſolamen dulce parentum,
Hinc dolor: hoc vno ſors mea læta minus.
Cætera ſum felix, & veræ gaudia vitæ
Nactus, & æternæ, tam cito, tam facilè.
Sol bis, luna quater flexum peragrauerat orbem,
Obuia Mors, fallor, obuia vita fuit.
Me Venetum terris dedit Vrbs, rapuitq́ Papia:
Nec queror, hic Cælo reſtituendus eram.

SVMMA VATIS PIETAS.

Cap. XXII.

DEtarchę hos affectus, hos mores comitabatur maxima diuini Numinis veneratio, qua ille cæteris ita præfulsit, vt ipsius apud omnes mentis plurimum inde accederet splendoris. Maxima enim animi deuotione summa quotidie in Deum eluceſcebat Pietas, studijque in mortales alacritas: Certo quidem documento, sed maximè conspicuo, cùm sacris initiatus se totũ Deo sanctissimè traderet. Ac licet figmentis potius & rythmis naturali impetu abriperetur, sacris tamen literis maximè incumbebat. Quod Epistola ad Posteritatem sæpiculè à nobis adducta testatus: *Ingenio, ait, fui æquo potius quàm acuto, ad omne bonum & salubre studium apto, sed ad Moralem præcipuè Philosophiam, & ad Poeticam prono. Quam ipsam processu temporis neglexi, sacris literis delectatus, in quibus sensi dulcedinem abditã.* Cuius indicium prębent piæ sacræque Lucubrationes multæ, quas composuit. Inter eas præcipuè: *De sui ipsius & aliorum Ignorantia, De Vita Solitaria, De otio Religiosorum, De vera Sapientia, De Conflictu curarum suarum.* Quibus in operibus vitam procul à Mundi illecebris ac blanditijs segre-

gregandam,& feliciorem appetendam docet. Quid re-
ſonāt aliud eius Pſalmi quos ad exēplū Prophetæ Regij
effuderat,cum humani pectoris lapſus & iuuentutis erro-
res in luctu ac ſqualore defleret. Quibus iure annume-
rantur,quos in Vaticano ſuo loco diximus,Pſalmi Con-
feſſionales Chriſtianæ pœnitudinis pleni. Nec medita-
tiones eiuſmodi reticuit *Lib De Conflictu miſeriarum ſua-*
rum, vbi hæc animo ingenuo: *cum ſit profecto veriſsimū*
ad contemnendas vitæ huius illecebras, componendūque inter
tot mundi procellas animum, nihil efficaciùs reperiri, quam
memoriam propriæ miſeriæ & meditationem mortis aſsiduā,
modo non leuiter aut ſuperficie tenus ſerpat,ſed in oſsibus ipſis
ac medullis inſideat. Hos ſi dixerim ipſum chely in vitæ
mortalis ſolatium,ac blandimentum ſenectutis oblecta-
mentum ceciniſſe, nihil fortaſſis ab eius inſtituto alienū
fecerim,puta qui Magiſtro Thomæ Bombaſio Ferrarie-
ſi legauit conceptis verbis *Lautum bonum, vt eum*
ſonet,non pro vanitate ſæculi fugacis,ſed ad laudem Dei æter-
ni. Pietatem in Lib. de Remedijs vtriuſque Fortunæ a-
pertiùs manifeſtauit Dialogo XIII. de Religione: *Reli-*
gio optima,& perfecta vna eſt, ſupra Chriſti nomen, ſuprag;
petram firmiſsimam fundata. Reliquæ omnes ſuperſtitiones
vanæ,& deuia, & errores ſunt, quibus eſt iter ad tartarum,
atque ad mortem, non hanc momentaneam, ſed æternam.
Omitto cætera. Illud tamen preterire nolo. Poetam
noſtrum non ignaua ſententia, ſed opera, ſe diuinæ le-
gis ſectatorem minime ſimulatum probaſſe. Ieiunijs
nempe ſtatis, vigilijſque quotidianis animum in diuinū
cultum & preces ipſum formaſſe, fidis multorum teſti-
monijs per ætates abundè accepimus.

Atque hæc omnia extrema tandem voluntate magnō pietatis exemplo confirmare libuit . Siquidem Vallis Clausæ domum & agros vbi diu suauiter vixerat, pauperum commodo dicauit hisce verbis : *Duo, antequam finiam hanc scripturam, addenda sunt . Vnum est, quod modicum illud terræ, quod habeo vltra mōtes, in comitatu Vensini in Villa seu Castro Valclusæ Diœcesis Cauallensis, quia sine dubio eundo illuc, vel etiam mittendo, quodammodo plus expenderetur, quam res valeret, volo, quod sit Hospitalis dicti loci, & in vsus pauperum Christi* . Eodem affectu Aedis Cathedralis Patauij se non fuisse inmemorem hisce ostendit. *S. Ecclesiæ Paduanæ, vnde percepi commoda, & honores, ordinaui animo iampridem pusillum terræ emere, quod eidem testamento dimitterem vsque ad summam videlicet ducentarū librarum huius paruæ monetæ, vel plus, si plus possim; sed ad hanc summam habeo iam verbo licentiam à Magnifico Paduæ Domino ac meo Domino Francisco de Carraria, quam vel in vita mea, vel post obitum, quoties seu quandocunque petita fuerit, daturum esse non dubito.* Et infra. *Sin autem quoniam nonnunquam piæ voluntates propter peccata hominum deduci nequeant ad effectum, dictam terram emere, vel propter negligentiam omisero, lego ipsi Ecclesiæ Patauinæ ducatos ducentos auri, ad emendum aliquantulum terræ, vbi melius fieri poterit, de cuius prouentibus perpetuum anniuersarium animæ meæ fiat* . Quod etiamnum hodiè Mensis Iulij die IX. religiosè seruatur . Librorum quoque suorum aliqua parte eandem hæredem scripsit, in cuius Sacrario Breuiarium suum purpura coopertum posterorum vsui inseruire voluit. Testamenti verba hęc sunt . *Presbytero Ioan. à Bocheta custodi Ecclesiæ nostræ Breuiarium meum magnum,*

gnum, quod Venetijs emi precio centum librarum, ea tamen lege, illud ei dimitto, vt post eius obitum remaneat in Sacristia Ecclesiæ Paduæ ad obsequium perpetuum Presbyterorum, vt ipse Presbyter Ioannes & alij orent, si eis placeat, CHRISTVM *& Beatam Virginem Mariam pro me.* Mansit ibi vsque ad Caroli S. Bonifacij Patauini Canonici tempora, qui illud dono impetratum, secum Romam detulit, vbi cum viuere desijsset vnà cum eius suppellectile à Camera Apostolica auctioni subiectum transijt in Gregorij Montagnanæ possessionem: apud quem illud non rarò vidit V. C. Laurentius Pignorius Canonicus Taruisinus alijque Viri præstantes. Sensit & PETRARCHÆ nostri liberalitatem Parochianis Arquadæ, cui xx ducatos legauit. Pauperibus item centenos ducatos in diem sui obitus diuidendos reliquit, prohibita omni funeris pompa, atque amicorum fletu, vt defunctis inutili. Testamenti porrò totius serie cum Lectori fastidio esse noluerim, hactenus ijs passim insertis, quæ ad rem nostram, Coronidis loco potior hic sufficiet exordij pars, veluti supremũ pietatis ipsius argumentum; quo hoc Capitulum signetur. *Sæpè de eo mecum cogitans, de quo nemo nimis, pauci satis cogitant, de nouissimis scilicet ac de morte, quæ cogitatio, neque superflua esse potest, neque nimium festina, cum & mors omnibus certa sit, & hora mortis incerta. Vtile ac honestum credo antequam me mors impediat, quia mors ipsa, quæ per varios & ambiguos rerum casus semper nobis impendet pernutilem breuitatem procul, esse non potest: nunc Dei gratia dum corpore simul atque animo sanus sum, de meipso ac de rebus meis testando disponere.* Et paulo post: *In primis animam meam peccatricem, sed diuinam misericordiam imploran-*

tem,

tem, & de illa sperantem commendo humiliter IESV CHRISTO, *eique flexis ipsius animæ genibus, vt à se creatam, suique sanctissimi sanguinis pretio redemptam, protegat, effusus supplico, nec permittat ad suorum manus hostium peruenire. Ad hoc etiam auxilium Beatissimæ Virginis Matris suæ & Beati Michaelis Archangeli reuerenter & fideliter imploro, & Sanctorum reliquorum, quos intercessores apud* CHRISTVM *inuocare sum solitus, ac sperare. Corpus autem hoc terrenum ac mortale nobilium grauem sarcinam animorum, terræ, vnde sibi origo est, volo restitui.*

SENECTVS, OBITVS, ET FVNVS.

Cap. XXIII.

IS animæ præsidijs piè munitus quod vitæ reliquum varias inter fortunæ blanditias ad senium traduxit PETRARCHA noster. Patauij sedem ille suam amœnioris illius aeris dulcedine delectatus pridem fixerat, inibique prudentissimo Viro Francisco Carrariensi, senioris Iacobi filio, inprimis charus cælestem in terris vitam quodammodo traducebat. Summa quippe sibi Virum summum necessitudine nexuerat Patauina ditionis Princeps, nec amore solum sed obsequio pariter,

ter, cultuque maiori prosequebatur in dies, nec alia re solebat magis, quàm tali ac tanto rei literariæ lumine, vti decore imperij sui maximo gloriari. Accedebant eò literatorum cætus pari in eundem ardore propensi, maximusque ex omni terrarum angulo concursus eruditorum hominum ad Patauinam Vrbem, vt rarum adeo caput venerarentur. Miro scilicet ille candore morum, innocentia vitæ, probata animi constantia, diuini numinis zelo, cęterisque virtutibus, quæ virum pium, & sacris mysterijs initiatum decent, sic inter mortales cęteros elucebat, vt absolutissimum se virtutum exemplar omnibus imitandum præberet. Cathedralis Ecclesię Patauinę Canonicus talem se perpetuò gessit, vt eidem ingenti fuerit ornamẽto. Sedes illi Patauij modò, modò Arquadæ fuit, solaq; illi vtrobiq; voluptas & maxima, literarũ studium, & exercitatio virtutis intermissa nunquàm. De cuius peculiari viuendi ratione, etsi, ob longam temporis intercapedinem, nihil certi habeamus; memoria tamen digna sunt, quę de familiari Poetę studiorum modo affert Franciscus Bocchius *Lib. I. Elegiorum*, quibus Viri doctissimi nati Florentię decorantur: *Consueuerat Poeta noster dum moliri aliquid cogitando vellet, multis spatijs faciendis deambulare solus, & dum orirentur cogitationes, atque aliæ alijs succederent, ne quæ subito eruperant euanescerent, pellita quadam in veste, qua erat indutus, quæq; nullo panno exteriore erat coperta, scriptitare subito quæ Tuscis in Musis venerãt in mentem, multisque hac atque illac notis & lituris circumscribere. Hanc ipsam vestem Ioannem Crisam vna cum Iacobo Sadoleto & Ludouico Buccatello, quorum erat in potestate, contemplari solitum esse dicitur, & cum*

Anno

Anno M D XXVII. grauis pestilentia omnia in Italia deuastaret, cum animi tum etiam salutis causa rus Muggollanum Ioannis Casæ omnes concessisse, secumque hanc vestem vt per otium contẽplarentur habuisse. Frugalẽ hũc inter parietes domesticos vestiendi morem non à sorditie, nec à morositate Cynica, à quibus alieniſſimus erat Poeta ingenio nobili, moribusque politissimis natus, sed à priori seculo manasse, suadet inprimis Innominati cuiusdam Scriptoris Itali nondum editi auctoritas, qui Imperante Federico floruit, cuius ob vetustatis notitiam non mihi præter rem visum integram quamuis prolixiorem huc transferre narrationem ex MS. in membranis titulo *Chronici Septem AEtatum*, quod in Museo Cl. Ioan. Rhodij varia Librorum supellectili instructissimo obseruaui: *Per huius Imperatoris tempora rudes erant in Italia ritus & mores. Nam Viri infulas de squamis ferreis capite gestabant insutas biretis quas appellabant Maiatas. In cœnis Vir & vxor vna manducabant paropside: vsus inciſoriorum ligneorum non erat in mensis: vnus vel duo Cyathi in familia erant: nocte cœnantes lucernis, aut facibus mensas illuminabant, facem tenente vno puerorum vel seruorum. nam candelarum de sero vel de cera vsus non erat. Viri chlamydibus pelliceis sine operimento vel laneis sine pellibus, & infulis de pignolato etiam quando veniebant ad nuptias Viris suis coniugatæ. Viles tunc erant cultus virorum, & mulierum. Aurum & Argentum rarum vel nullum erat in vestibus. Parcus quoque erat victus. Plebei homines ter in septimana carnibus recentibus vescebantur. tunc prandio olera cocta cum carnibus. Cœnam autem ducebant ipsis carnibus frigidis reseruatis. non omnibus erat vsus vini æstate. Modica numorum sum-*

ſumma ſe locupletes habebant. paruæ tunc erant cellæ Vinariæ, horrea non ampla. promptuarijs erant contenei. Modica dote nubebant fœminæ, quia earum cultus erat parciſſimus. Virgines in domibus patrum tunica de pignolato, quæ appellatur ſotanum, & paludamento lineo, quod dicebatur xocca, erant contentæ. ornatus capitis non precioſus erat Virginibus aut nuptis. Coniugatæ latis vittis tempora & genas ſub mẽtum vittabantur. Virorum tunc erat gloria in armis eſſe, & equis commodis. Nobilium locupletum erat gloria Turres habere, quas tempore Vrbes Italiæ ſingulæ multis turribus inclytæ videbantur. Hæc ille. Venetias etiam viſum amicos non rarò ſolitus adire Poeta, Vrbem vndequaque clariſſimam grata Magnatibus præſentia decorabat. Patauij Domus eius fuiſſe perhibetur illa, cuius vnam partem ponè Cathedralem Eccleſiam hodiè incolunt Boſchetti Presbyteri Hieronymus & Dominicus eiuſdem Eccleſiæ cultui mãcipati, honeſti cumprimis & conſpicui patriæ noſtræ viri: aliam alij eiuſdem Templi Sacerdotes. Luſtrauimus illam cum Cl. Viro Hieronymo Gualdo omnis antiquitatis acerrimo cultore attentis vtique oculis diligenter, nec aliud mihi compertum eſt antiquitatem inibi referre præter Muſeolũ & Iconem Deiparæ Virginis non incelebri manu in muro pictam. Poetæ quoque Effigies pariter conſpiciebatur ibidem, quam ob artificij præſtantiã muro exſectã bonę memorię Cl. Vir Io. Bapt. Siluaticus Eques & Iuris Canonici Profeſſor in ſuas ędes transferendam curauit, eamque non minori cura inibi conſeruat Frater Benedictus Eques, raro exemplo Practicę Medicinę in Gymnaſio Patrio Profeſſor Primarius. Cęterùm ętate iam grauis Poeta, Arquadę prędipuè ſibi

commorandum duxit, sedem illam ratus Musis & contemplationibus cęlestibus, inter Laureta & Oliueta procul ab omni ambitu, prę cęteris opportunam . Ex quo vico fratri suo Gerhardo Carthusiano post quatuor annorum silentium Epistola VI. Lib. XIV. Senil. statum suum, imbecillem vitę conditionem, & habitationem hãc ruralem minutissimè perscripsit. *Status meus cuius noscendi auidum te scio, tam varius, tamque incertus est vt vix eum verbis assequi posse queam. Expediam quo datur. Hoc integro triennio, æger fui, seu est ætas, seu peccatum meum, seu quod sat credere vtrumque.* Et paulo post: *De me quidem & de mea vita, sepe per hos annos à medicis, quibus nihil credo, & ab amicis, quibus omnia, desperatum est.* Pauciscque interiectis innuens sui nominis famam . *Licet indignus in magna hominum opinione ac fauore sum, non populorũ modò, sed Principum, vt similiter regis regum Iesu Christi. Me, vt Imperatorem sileã, Regesq; alios, & qui nunc est Pontifex petit, & qui nuper fuit, vsque ad obitum expectauit, ad quem mitissimis literis plusquam semel euocatus lætè ibam & maximè, quod ad locum Sanctum ac venerabilem vocabar, sed infirmitas morti similis, quæ iam tunc me latenter inuaserat, gressus meos quidem calle detinuit* . Pauciscque interiectis, Arquadam solitudinem describit. *Itaque ne longè nimis abirem ab Ecclesia Euganeis istis in Collibus non amplius, quã decem millibus passuum, Patauina Vrbe distantibus, domum paruam, sed delectabilem & honestam struxi, cumque oliueta & aliquot vineas, abundè quidem non magnæ modestæq; familiæ suffecturas hic quamquam æger eorpore, tranquillus animo frater dego sine tumultibus, sine erroribus, sine curis, legens semper & scribens, & Deum laudans, Deoque gratias & de*

bonis

bonis agens & de malis meis, quæ non ſupplicia niſi fallor, ſed exercitia mea ſunt aſsidue; præterea Chriſtum orans bonum vitæ exitum & miſericordiam ac veniam, quin & obliuionem iuuenilium delictorum. vnde nil ſuauius in labijs meis ſonat, quam Dauidicum illud, Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris. Hanc dum ibi trahit vitam pauperum inopiæ conſulebat alacriter & liberali manu, nec vllus eo in pago decumbebat æger, cui non pietate ſumma impenſis proprijs alimenta ſuggereret, orphanorum & puellarum inprimis miſertus. Cumque ingraueſcente ętate iam febri aliquandiu vexaretur, morbo ſibi sōtico ne inopinato fato inteſtatus abriperetur de ſuis rebus maturè deliberato animo Anno 1370. pridie Nonas Aprilis diſpoſuit. Qua pietate, hactenus innotuit. Qua prudentia teſtem eſſe voluit Franc. de Borſano, filium quond. D. Amicoli de Broſano ciuem Mediolani portæ Verzelinæ, quem ex aſſe hæredem ſcripſit. Principi quoque gratum animi argumentum hiſce verbis reliquit: *Magnifico Franciſco de Carraria Domino meo Paduano, quia ipſe per Dei gratiam non eget, & ego nihil habeo dignum ſe, dimitto tabulam meam, ſiue Iconem B. Virginis Mariæ operis Octij Pittoris egregij. Quæ mihi amico meo Michaele Nauis de Florentiæ miſſa eſt, cuius pulchritudinem ignorantes, non intelligunt, magiſtri autem artis ſtupent. Hanc Iconem ipſi Magnifico Domino lego, vt ipſa Virgo benedicta ſit ſibi propitia apud filium ſuum Ieſum Chriſtum.* Nec amicorum immemor ſua ſingulis ita legauit: *De Equis meis, ſi quos habuero in tempore tranſitus mei, qui placeant Bonzonello de Vigoncia & Lombardo Aſerico conciuibus Patauinis volo, quod inter eos ſortiantur quis primum eligat, qui ſecun-*

dum. Et paulo inferius. *Item lego eidem Lombardo scyphũ meum paruum rotundum argenteum & inauratum, cum quo bibat aquam, quam libenter bibit multò libentius quam vinum.* Eundem hęredem ex asse suum instituerat, si quidē Franciscus de Brosano priùs obijsset. Pergit: *D. Ioan. de Certaldo seu Boccacio verecũde admodum tanto viro tam modicũ lego quinquaginta florenos auri de Florentia pro vna veste hiemali ad studium, lucubrationesq; nocturnas: prædicti autē mei amici de paruitate huiusmodi legatorum non me accusent, sed fortunam, si quid est fortuna. Propter hunc respectum distuli ad vltimum, quem primum esse decuit Magistrum Ioannem de Horologio physicum, cui lego quinquaginta ducatos auri pro emendo sibi vnum paruum annulum digito gestandum in memoriam mei.* At verò labilis admodum & incerta rerum humanarum memoria ob vitæ fragilitatem. Solo titulo & PETRARCHÆ meritis nota hæc posteris nomina vni Bonzonello ea adhuc supereſt gloria, quod antiquatum fermè temporum vetustate familię decus in Barisonijs sederit, quos inter longa serie literis & armis claros in primis floret hodie summi iudicij ac ingenij Vir D. Albertinus Abbas, Canonicus & Pandectarum publicus Professor, quem felici passu in hac virtutis via sequuntur fratres Antonius & Io. Franciscus Iuris peritia magnoq; rerum vsu laudatissimi. Rebus suis ita in tranquillum reductis cum iam LXX. attigisset annum Petrarcha Anno reparatę Salutis 1374. Die XVIII. Iulij sacri morbi (non vt voluit Briuius & alij Apoplexię vitę prętер inducias nimium pernicioſę) insultu sępius familiari correptus solito vehementius, in sinu doctissimi Viri Francisci Aserici beatam Creatori reddidit animam;

quam

quam clementer receptã & cęlo donatam piè credimus. Ingemuere protinus ad tanti hoſpitis abitum Arquadæ Colles, accolæque ipſi doloris acerbitate perculſi ad domum illius aduolant agminatim, ſequuntur penè cũ pueris vlulantes matres, & effuſis vbertim lachrymis omnia complent. Ad eos gemitus legentes in pratis floſculos puellæ trepidare primò, mox eodem accurrere, & in patris extincti ſinum, & feretrum, florum, & lachrimarum imbres effũdere, coronaſq; certatim nectere capiti, quod antèa fuerant veneratæ. Confluunt mox illuc ex proximis Montiſſilicis, & Ateſtis oppidis viri vndequaq; clariſſimi, vt tanti Vatis funus ducant, & oſculis extremis excipiant eruditam frontem. Perculit ea fama Patauinã vrbem, viſaque tum ſibi collabi eſt tanto ex funere protinus, & iacere. Ciues ilicet exteri quique exanimes vnà cum Franciſco Carrarienſi Principe, vt in publico fieri iuſtitio ſolet, atrati incedunt, lugentque ſibi raptum cariſſimum caput. Vidiſſes męrore contabeſcere omnia, crebriſq; ſuſpirijs & inauditis antea ſletibus omnia perſonare. Solabatur id vnum omnes, ita vixiſſe Petrarchã, vt hinc abeuntem conſtaret adijſſe meliorem vitam: ſibique ſatis illam, ac ſuper vixiſſe. Ecquis enim poſt ſeptuageſimum vitæ mortalis annum, poſt adeptam Lauream, poſt honores ampliſſimos virtute partos, poſt gratiam & amorem Principum, meritis & integritate collectum, huius frui lucis vſura diutius velit, aut eam vitam ducere, quæ voluptates, quę ingenij vim, quę ſenſus omnes, imminuat, vel retundat. Vitæ ſane Petrarchæ curſus adeo glorioſo fine concluſus, tanta omnium beneuolentię ſignificatio, totius Ciuitatis Patauinę in eo celebrando

do deflendoque consensio, pompa deniquè funeris omnium penè ordinũ ampliſſima, & assensus laudum illius, ac fauor, non imminuere solum luctum, quamuis acerbũ eius ex morte profectum, sed planè breui tollere debuisset. Simulac enim decreta funeri dies affulsit, Franciscus Carrariensis vnà cum Militibus, & Equitibus Patauinis accessit Arquadæ collem. Sequuti sunt Principem vrbis eiusdem Episcopus vnà cum Canonicis, & ordines vniuersi Cleri, Montemsilicem versus delati cymbis per flumen, subsequutis quoque Doctoribus ac Populo propemodum Vniuerso. Inde magna cereorum pompa FRANCISCI corpus amictu rubeo, quo tum vti solebant Canonici Patauini, decenter ornatum ab æde illa Musarum ad Ecclesiam Vici, quam Parochialem vocant delatum est, pone subeuntibus Viris, & Principibus antè laudatis. Attollebatur ibi feretrum panno holoserico aureo, & armelinis stratum, cuius ad sublimiorem partem deducebant gradus accensis vtrinque funalibus clari. Fulgebat & illius tegmen, planeque videbatur Cęlum, stellis aptũ ardentibus, æmulari. Ea in parte cadauer situm; Ecclesia verò reliqua generis omnis carminibus, & Elogijs luculenter testantibus defuncti merita, & virtutes: laudes quoque Deo pro illius æterna quiete ab omni clero religiosissimè persolutæ. Habuit & Orationem de more funebrem Frater Bonauenrura de Peraga tum Ordinis Eremitarum, postmodum ob virtutum præstantiã S. R. Ecclesiæ Cardinalis. Pompæ testis oculatus mihi in primis est Gattarus in suo Chronico eius seculi idiomate, quod apud me manuscriptum.

Nell' Anno 1374. *il Martedì* 18. *Luglio piacque à Dio di chia-*

mare

mare à ſe il Reu. ed Eccellente corpo di M. Franceſco Petrarca Laureato Poeta, & il ſuo corpo fo meſſo in Villa in vn'arca ſu la montagna del terreno di Padoua. doue fo à honorare la ſepoltura del detto corpo M. Franceſco da Carrara Prencipe di Padoua con Arciueſcoui, Veſcoui, Abbati, Priori, Monachi, & con tutta la Chiereſia di Padoua, & Padouano, Canalieri, Dottori, e Scolari quali tutti andeno alla Chieſa di Arquà, e ſora una sbarra di panno d'oro foderata d'armelini da 16 Dottori leuata con un real ſermone lodato . Rem prolixius narrat Chronologię Patauinę nondum editę ſub nomine Henrici Calderi Auctor Cap. 92. lib. 6. quamquam in ſuputatione temporis non leuiter lapſus. Cuius hęc verba. *Anno* 1369. *Franciſcus cognomento Petrarcha, Poeta celeberrimus, Eccleſiæ Cathedralis Paduæ Canonicus, in pago Arquato, haud tanti Viri fama in obſcuro, non ſine omnium grauiſsimo dolore ex hac vita xv. Kal. Auguſti felix in cælū migrauit, cuius funus ſatis vti par erat amplum Viri Clariſsimi Franciſcus Carrarienſis, qui tunc temporis Patauio imperabat, Epiſcopus quoq́, Abbates complures Cœnobiorum totius Vrbis, ac Diœceſis Antiſtites, Gymnasij Patauini publici Doctores, ac Vniuerſitatis Scholares, cohoneſtandum religioſiſsimè curarunt. Cuius cadauer feretro panno ex auro ſtrato, ac vmbella itidem aurea pellibus ex armellinis contexta ſuper impoſitum cùm bis octo Viri Excellentiſsimi humeris vſq́ ad ſacram Arquati ædem publicè detuliſſent, ibi Frater Bonauentura Peraghinus, qui poſtea fuit Cardinalis, eius laudes, ac vitæ integritatem funebri oratione illuſtrauit.*

Tumulatus eſt in memorata Parochiali Eccleſia Arquadi honeſto in loco, ibi ſcilicet, vbi ipſe, dum viueret, ſacellum in honorem Deiparæ Virginis erecturus erat, vt

hęc


Frigida Francisci Lapis hic tegit ossa Petrarcæ
Suscipe Virgo Parens animam: sate Virgine parce
Fessaquè iam terris cœli requiescat in arce.
Anno Domini M. CCC. LXXIIII. XVIII Iulii

hęc indicant in illius teſtamenti tabulis exarata. *Si Arquadæ, vbi ruralis habitatio mea eſt, diem clauſero: & Deus tantum mihi conceſſerit, quòd valde cupio, Capellam ibi exiguã ad honorem Beatiſs. Virginis extruere, illic ſepeliri eligo. Alioquin inferius in aliquo loco honeſto iuxtà Eccleſiam plebis.* Poſthęc Franciſcolus de Broſſano, ſiue de Borſano, quẽ ex Teſtamento conceptis verbis, *Omnium bonorum mobilium & immobilium, vbicumq; ſunt, vel erunt, vnum ſolum hæredem* inſtituerat, Sepulchro illi marmoreo extructo in ipſomet eiuſdem Eccleſię conſpectu ſupra quattuor columnas cadauer eiuſdem, ſolenni amicorum obſequio, & Sacerdotum cantu, iteratis exſequijs incluſit, Epitaphio hoc adiecto, quod ipſe ſibi Petrarcha viuus ſcripſerat.

Frigida Franciſci lapis hic tegit oſſa Petrarce.
Suſcipe Virgo parens animam, ſate Virgine parce,
Feſſaq; iam terris cæli requieſcat in arce.
M. CCC. LXXIIII. XVI I I. Iulij.

Loculi verò, quem hic ſpectandum damus, baſim hęc ambiunt.

VIRO INSIGNI FRANCISCO PETRARCÆ LAVREATO
Franciſcolus de Broſano Mediolanenſis gener indiuidua conuerſatione, amore, propinquitate, & ſucceſſione, memoria.

Subiecta huic poſtea in inferiori parte baſis hęc Inſcriptio, *Io. Baptiſta Rota Patauinus, amore, beneuolentia, obſeruantiaq; deuinctiſs. ac tanta celeber. Vatis Virtutum admirator ad Poſteros H.M.B.M.P.C.*

Poſteris demum probaturus, quo Poetam proſequebatur cultu Paulus Valdezucus Patauinus ædium olim Petrarchæ Dominus, viuum eiuſdem vultum ex ære du-

cum huic ipsi sepulchro super posuit, adiecta tabella hi-ce literarum notis.

Fr. Petrarchæ Paulus Valdezuchus
Poematum eius admirator, ædium, agriq; possessor,
hanc effigiem pos. Anno M. D. LXVII. Idibus Septembris
Manfredino Comite Vicario.

De tanti viri obitu, funere, & sepulchro pręter Gattarũ in suo Chronico, & alios Auctor etiam Anonymus Chronologiæ vltimę, adiectę chronico Rolandini, hæc leguntur. *Franciscus Petrarcha Poeta coronatus laurea corona in Capitolio Romæ per Magnificum Comitem de Anguillaria, decessit Anno Domini M CCC. LXXIV. die XIIX. Iulij ætatis suæ LXX. Et ossa eius clauduntur marmoreo saxo & in castro Arquadæ quiescunt in Euganeis montibus*; In eãdem planè sententiam, quę sequuntur scripta Vincentius etiam in Historiali Speculo. *Tandem in agro Patauino Arquadæ rure montano (Petrarcha) sedem fixit, vbi meditando & scribendo tẽpus contriuit. Postremo labore confectus Anno Domini M. CCC. LXXVII. apoplecticus sanctam Christo reddidit animam. Corpus ibidem in sepulchro marmoreo quattuor columnis substentato sepultum fuit. Vixit autem LXX. Annis vna minus die. Vir omnibus seculis admirandus, à quo eloquentiæ studia excitata sunt.* Nec in re manifesta plura addo.

MONVMENTA PETRARCHAE VIVO ET DEFVNCTO POSITA; ELOGIA EIDEM A VIRIS CLARIS CONCINNATA.

Cap. XXIV.

NEC satis erat cineribus quęsiuisse immortalitatem Monumento. In hoc officium cõtenderunt omnes virtutis admiratores, quorum bona pars viuam Petrarchæ Effigiem peritiori penicillo exprimi curauit, non solum in tabulis ad Cœnaculi, aut *Bibliothecæ* ornatum, sed & in parietibus ad ædium splendorem. Qualẽ ob insigne artificium vna cum muro ex ædibus Presbyterorum Cathedralibus olim à Poeta nostro habitatis in suum Museum transtulit Io. Baptista Siluaticus Vir Cõsultissimus Iuris Canonici publicus Professor, ductus fortassis egregio Leonardi Aretini exemplo, qui *Cap. III. pag.* 8. *de Viris illustribus Italiæ*, frequenti Imaginis Petrarchæ inspectione in literarum amorem se raptum fatetur. Sed, quod non nisi Imperatorum & Consulũ olim, labentibusq; seculis Heroum ac Principum erat, Numismate etiam speciem tanti Viri perpetuare placuit maioribus nostris sine exemplo, quod in diuersis imitata fuit posteritas. Huius Typum hic exhibeo.


FRANCISCVS · PETRARCA · FLORE
SANIS

Ipſius vero Numiſmatis ænei delineationem ex archetypo acceptam ferimus humanitati ſpectatiſſimorũ virorum, Ioannis Reinſt & Abrahami Heiermans, qui pridem exotica omnia cum ſtatuis eximij pretij ab Illuſtriſſimo Andrea Vendrameno relictis, pararunt Venetijs. Eius quidem inſcriptione Petrarcha perhibetur Florentinus. Sed Aretij natum diximus cum meliori Scriptorum parte, nec de eo vllus rerum noſtratium peritior dubitauit. Florentinum tamen non inficiamur parentibus & ciuitate potiùs, quam loco natali. Verum neque inſolens admodum de Summorum Virorum patria dubitatum fuiſſe omni ſeculo. vt mittam alios, Homero vetuſtas variam pro ſuæ ambitionis æſtu affinxit patriam, quem tamen in Chio inſula natum cenſet potior eruditorum pars, cui libens ſubſcribo. Ac licet nuſpiam intellexerim ei ſtatuam fuiſſe erectam, Iconem tamen eius æneam in monumenti faſtigio videre eſt. Quæ etſi ad nominis perpetuitatem fuerint maxima: Eius tamen virtus, quæ ſola durat & æterna habetur eam peperit in eruditorum animis opinionem, vt pro ſuo ingenio, pro ſuo affectu, quamuis numquam ſatis ex merito, ipſum optimus quiſque prolixis Elogijs honeſtarit, ipſius nomine omnis penè cultioris Italiæ & Galliæ angulus ſplẽdeat. Inter primas Inſcriptiones ipſius Meritis erectas prima iure eſt, quæ in Aula Gigantea apud Præfecti atrium Patauij legitur ſub effigie Petrarchæ penicillo ficta Cl. quam compoſuiſſe fertur Ioannes Cauacius ciuis Patauinus:

FRANCISCVS PETRARCHA *Florentinus natus eſt Anno Natiuitatis Chriſti Ieſu Saluatoris noſtri M. CCC. IIII.*

prima

prima Augusti. Mater infantem primo Anno in locũ Ancisæ supra Florentiam duxit, ibique vsque ad octauum educauit. puer intelligens se honesta & antiqua familia ortum patri suasit, vt Italia discederet. Itaque Pisis per biennium mansit, inde in Galliam Transalpinam migrauit in Auinioni . . supra Rhodanum commoratus, propterea quod tunc ibi sedes esset Apostolica, sicque in Gallia, Grammaticæ, & Raetoricæ operam dedit, deinde Iuri Ciuili, postea propter Gymnasij famam se Bononiam contulit, studens per tres Annos, dum vero, vt parentes viseret, in Galliam redijsset, in die Veneris Sancti, qui tunc fortè erat sexto Aprilis, vidit, & verisime amarcepit Lauretam puellam in Templo D. Claræ in Auinione, quam Lauram decantauit. Columnenses Patritij Romani eum charissimum habuere. Tum etiam Galeacius Vicecomes Mediolani, & Iacobus de Carraria Patauij Dominus, qui eum ad Canonicatum Paduæ promouit. Amauit vnicè Lombardũ à Serico Patauinum. Fuit magnæ staturæ, domesticis rebus contentus, in iram pronus, sed iniuriarum immemor, perspicax, & omnibus studijs aptissimus, formosa facie, & viuidi coloris, grandior ætate sacris literis maximè intentus, in Arquado agri Patauini domum percommodam construxit, vbi triumphos rhythmico carmine & vernacula lingua composuit . . . . . Vir & qui latinè varia, & versu & soluta oratione edidit, & tandem vitam obijt & sepultus est, eiusque sepulchrum extat.

Extra Vrbem saxo parieti Aedis exteriùs Arquadæ inserto hæc leguntur.

DANTI ALDIGERIO FRANCISCO PETRARCHE & IOANNI BOCCATIO *Viris ingenio Eloquentiaq; Clariss. Italicæ linguæ parentibus, vt quorum corpora mors & fortuna seiunxerat*

rat nomina saltem simul collecta permanerent, Ioannes Breuius Canonicus Cenetensis huius Basilicæ Rector in sui erga eos amoris obseruantiæque testimonium posuit. M D XXVI.

Quæ vero olim intra Basilicam videbatur Inscriptio hodie non extat, ideoque eo libentius è Scardeonio & Scrader Monu. Ital. huc transtulimus.

Francisco Petrarchæ Archidiacono Parmensi, Canonico Patauino, vita, moribus, doctrina & eloquio ita claro, quod exemplũ desit: Is primum omnium latinam linguam à barbaricæ prauitatis mendis inculcatam restituit, ac vndique laceram exornauit. Quantum autem in Italico nostro idiomate valuerit, Rythmi ob Lauræ amorem compositi satis testantur, vt ob eos alter nemo vnquam nisi ipse solus (pace omnium dixerim) quod non modo primus, verum etiam vltimus meritò ab eruditis omni ætate semper habendus sit. Idcirco ob eximias suas tam animi, quam corporis dotes, primæ aliarum totius orbis ciuitates Roma scilicet, & Parisij, vno eodemq; die inuicem certantes (quod mirum est) ad perficiendam Lauream Poeticam nuntijs, ac literis eum euocarunt. Quo facto Anno Domini M. CCC. XLI. Idibus April. in Resurrectionis festo, amicorum consilio solemniter Romano in Capitolio maxima tam Romanorum quam aduenarum Procerum & aliorum astantium frequentia, ab Vrso Anguillariæ comite, Romanoque Senatore Laurea corona insignitus est. Quappropter Regũ, & Principum fauoribus & nobilium amicitijs vsque ad inuidiam fortunatus extitit, & ita cum quibusdam fuit, vt ipsi quodammodo cum illo essent. Postremo vt finis erat, eius anima terrena exuta spolia (vti credendum est) cælum petijt. An. M. CCC. LXXIV. Die XVIII. Iulij. Cum iam grato in carcere LXX. Annorũ spatio vna minus die absq; tædio permansisset.

Idem

Idem fatum passa inibi Tabella Petrarchę Manibus à Paulo Pansa suspensa , cuius eruditam Musam ab æui iniuria vindicare æquum fuit.

Cornua cui musco, & torta circundatus herba
Innixusq́; vrna guttis madentibus Arnus
Non solum assurgit, sed quem diuine Petrarcha,
Et Tyberis rerum dominus miratur, & Indus,
Et Tagus, atq́; Ister, sitienti, & Bagrada ripa,
Pansa ego visendi studio, qua conderis vrna,
Huc veni, linquens vltrò patriamq́; laresquè.
En supplex voco te ad cineres, omnesq́; per aras
Thure litans tumulum amplector, manesq́; liquentì
Expio aqua, spargens violas, florumq́; maniplos.
Huc adsis, nec te pigeat venisse per agros
Seu iuuat Elysios spatiari, & texere serta
Heroum manui immixtum, vatumq́; choreis:
Atria stellantis seu tu radiantia Olympi
Metiris diuum ex aditis penetralia captans.
Ah quantum vmbrosæ Valles, collesq́; supini
Inuideo vobis, quibus est data cura sepulchri.
O vos felices nimium, nimiumq́; beati,
AEquora, felices riui, felicia prata,
Felices Bacchi Vites, oleæ què Mineruæ:
Sed mage felices rami Daphneidos vmbræ,
Fortunate lacus fortunatissima tempe.
Euge Poeta veri, vultusq́; attolle serenos.
Illustres animas tecum longo ordine ducens.
Sis bonus, ò felixq́; mihi, numerosq́; doceto
Aonios, quibus extollis super ætheram Lauram
Et notam Eois populis, & Gadibus. ò sic

Lilia,

Lilia, vernantesq́; rosæ, violaria, odores
Aspirent, vere & foueant tua busta perenni.
O salue æternum, òq́; vale æternum optime Vates.

Nec satis erat Veneto claudi imperio æternam Viri famam, quam abundè loquuntur sparsa per Italiam saxa. Florentiæ in Apotheca Iudicũ & Notariorum sub imagine Petrarchæ adhuc inspicitur hoc Epigramma.

Quod nulli natura dedit Franciscus adeptus.
Carmina bella canit, siluas, & pascua clara,
Et mores, satyrasq́; prosa, nec amœnius alter.
Ergo digna virens ornauit tempora Laurus.

Eiusdem in Arce Ducis Vrbinatis quoque Imagini hęc adscripta:

FRANCISCO PETRARCHÆ
ob acerrimum ingenium, suauissimæque
Ingenuitatis doctrinam, posteritatis
letitia, lususque dicauere.
B. M.

Verum nec alijs tantæ virtutis admiratione posteriores esse voluerunt Reuerendissimi Canonici Patauini, qui suasu Nobilissimorum Virorum Iosephi Gualdi Archipresbyteri, & Abb. Francisci Leonis Comitis de Sanguineto Thesaurarij Anno 1634. in Choro Monumentum Petrarchæ erigendum decreucrunt.

Sed hæc publica. Speciatim non minori spiritu, quantumuis maiori auctoritate, calamum Poetæ laudibus cõmodarunt Viri omni literatura præclarissimi, quorum immensum numerum, præter eos qui antea in hoc opere sparsi, in paucos contrahere visum fuit. Inter eos patria arctissimaque necessitudine iure primus Ioan. Boccacius

carmen Dantis operibus comitatum, (quod in Codice Vaticano 3199.) inscribit *Francisco Petrarchæ Poetæ vnico atque illustri.* Idque hoc encomio claudit

Vale decus Vrbis & Orbis.

Franciscus de Fiano Romæ in Colle Viminali XXVII. Augusti Anno M. CCCC. VI. carmine Heroico, quod apud me est MS. ad Antonium de Luschis Vicentinum, vt ait ille, *Laurea, & immortalitate dignum*, sub persona Calliopes sic de Petrarcha:

Nuper ad hanc Vrbem Latialis gloria linguæ
Vnica diuini venit post fata Petrarchæ
Luschorum de stirpe satus.

Paulus Vergerius suo seculo Virrarus in Vitis Carrarienſiũ quę calamo in meo Museo exaratę ita de Iacobo Principe: *Modicè literarum doctus extitit, verum doctiores magnopere dignabatur. Inter quos* FRANCISCVM PETRARCHAM *insignem Poetam multo studio ad se vocatum beneuolentia complexus, & honore fouit, & beneficijs auxit.* Quod ipsum Historicus noster Ecclesiasticus Ioan. Cauacius Lib. 4. Hist. Cœnob. D. Iustinæ, verbis tantum mutatis repetijt. Omnium verò luculentissimè de Poeta Ioan. Tritemijus de Scriptoribus Eccles. FRANCISCVS PETRARCHA *natione Etruscus, Vir in diuinis Scripturis eruditus, & in sæcularibus literis omnium sui temporis longè doctissimus, Philosophus, Rhetor, & Poeta celeberrimus, qui literas humanitatis post longo silentio mortuas vt ita dixerim ab inferis reuocauit ad superos, non minus sancta cõuersatione, quam scientia clarus emicuit.* Simile huic Auentini Lib. VIII. Annalium Boiorum pag. 9. occurrit iudicium. Verba eius hæc sunt. *In Italia Franciscus Petrar-*

cha

cha & Ioannes Boccacius cultiorum literarum semina sparserunt. Hinc merito Michaeli Posciantio Lib. de Scriptor. Florent audit *Musarum & Mineruæ Sacerdos, & Vir denique tanto virtutũ splendore clarus, & ad optima quæque studia maximè idoneus:* Et Cõstãtini Lãdi de Numis. Pag. 119. iudicio *Etruscæ Poetices Princeps.* Quin, vt eleganter magni istius Lipsij discipulus & successor dignissimus, varia oĩs eruditionis notitia Vir Cl. Erycius Puteanus, Historiographus Regius & in celeberrima Louanienſi Academia Professor publicus in Lib. cui titulus, *Vnus & Omnes* pag. 106. *Post antiquos longo satis interuallo temporis, nullo doctrinæ, Franciscus Petrarcha diuina uir facundia, & renascentium è barbarie sæculorum cæleste quasi iubar.* Paucis, *Vir omnium sæculorum memoria dignissimus*, quein-admodum verè Laurentius Pignorius Epist. Symbolic. XIIII. Stylum hic stringo, ne frustra sim recensendis Cl. Virorum Elogijs, quæ passim obuia in Poetæ laudẽ, quem mirati sunt plurimi, culparunt pauci. Lectori autem grata varietate tædium vt demam, coronidis vice venustissimum hoc celeberrimi & Elegantissimi Poetæ Galli Philippi Portui ab Illustrissimo & Excellentissimo Viro D. CLAVDIO EXPELLIO Christianissimi Gallorum Regis Cõsiliario & Pręside Curiæ Granopolitanæ pro eximia humanitate sua ad me nuper transmissum subtexo, quo sermonem finio.

Le labeur glorieux d'vn esprit admirabile
Triomphe heureusemant de la posterité,
Comme ce Florentin, qui a si bien chantè
Que les siecles d'apres n'ont trouuè son semblable.

La Beaute nèst ainsj : car elle est perissable
Mais Laure auec ses vers vn trophee aplantè
Qui fait que lon reuere à iamais sa beautè,
Et qui rend son Laurier verdissant & durable.
Celle qui dans ses yeux tient mon contantement
La passant en beautè, luy cede seulemant
En ce qu'vn moindre esprit la veut rẽdre immortelle:
Mais i'ay plus d'amitie, si'l fut mieux escriuant.
Car sa Laure mourut, & il resta viuant:
Si madame mouroſt ei mourrois auec elle.

Verum nihil adeo magnum adeo solidum, quod fortunæ, & inuidiæ insultus non experiatur, vt nec Furiæ cõpositis Diuini Vatis exuuijs pepererint, quin temeraritas eis manus ingesserint.

DIVINI VATIS SEPVLCHRI VIOLATI HISTORIA.

Cap. XXV.

ULTIMAM huic operi manum cum essem impositurus, en vox per Vrbem sparsa, effractum noctu Diuini Poetę Sepulchrum variè multorum perculsit animos, tantumque permouit facti indignitas, ac temeritatis execrabile facinus, vt communi ciuitatis nomine ad Arquadæ Vicarium ocyùs in facti veritatem literis

ris inquiſitum fuerit. Rem ita ſe habere vbi reſpondiſſet, Cl. Decurionum rogatione Vrbis Rectores ſupremo Ser. Reip. Venetę Senatui factum exponunt. Nec mora, vrgente negotium ciuitate in Petrarchę memoriam maximè auida, Die 23 Iunij M.DC.XXX, Curię nomine Arquadã ablegatus Io. Durazzus Iudex ab Aquila cũ Iulio Garone Notario, & Vrbis Patauinæ loco D. Borromeus Borromęus & Exc. I. V.D. Ottonellus Diſcaltius ad vtilia Deputati illuc ſe conferunt. Vbi, preſente Iudice, facto tumbę indicio, ſub operculo teſſulam vna parte vlnam cum triente longam, & verſus finem eiuſdẽ partes vlnam ſemis altam, eximi curarunt. Quà remotà Iudex in monumentum introſpiciens cadauer adeſſe obſeruauit, dũq; tanti Viri cineres, ac oſſa venerans vna cum Pręcl. Viris diligentiſſimè omnia perluſtrat, parte dextrà oſſa quędã turbata deprehẽdit, reliquis alterà parte planè intactis. Ceterùm cum dubia eſſet defectus certitudo, puer in monumentum immiſſus ſocià Apparitoris opera aſſerem depromit, inquo oſſa omnia diſpoſita erant, quibus ſupra lodicem recognitis, os humeri cum ſcapula deſiderari viſum eſt; minorum oſſiũ accuratam rationem numerus obſcurauit. Quo facto, omnia ab apparitore in priſtinum locum repoſita fuere. Memoria diguum eſt, caput coma ſatis promiſſa pilis ſubtilibus, criſpis, rufi coloris, elegantia viuentis, cucullo nigro veſtitum fuiſſe, & linteaminis portiunculę aceruũ candidę pellis Epomidis, vulgo Zanfarda, fortè partẽ acceſſiſſe.

Quibus peractis, teſſula à lapicida ſuo loco reſtituta, & plumbo ferruminata, D. Marci, & Magnificę Com-

mu-

munitatis Paduæ sigillis munitur. Interea occasione Epistolę cuiusdam publicis typis Illustriss. & Eccell. Dominico Molino communi, Literatorum Patrono supresso auctoris nomine inscriptæ; titulo, CHARACTERISMI *Improbitatis e Dicasterio Rhamusiæ*, cùm Illustrissimus & Excellentissimus Simon Contarenus Eques & D. Marci Procurator, tunc Excelsi Collegij Magnus Sapiens siue Pręconsultor rem omnem in Consilium retulisset ijs momentis, quę exigebat peculiare ipsi diuinę Poeseos atq; inprimis Petrarchę studium; Serenis. Venetorum Senatus, cui solemnis sẽper fuit, ac admirabilis Virtutum, & Musarum cultus, ac propẽsus in eruditos Viros, maximèq; in Poetam nostrum affectus, sequens Rescriptum Illust riss. & Eccellentiss. Rectoribus Patauium mittit.

NICOLAVS CONTARENVS *Dei gratia Dux Venetiarũ &c. Nobilibus, & Sapientibus Viris Vincentio Capello de suo mãdato Potestati, & Petro Sagredo Capitaneo Paduæ fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum.*

Per una stampa di costì restiamo con grande amiratione, e con vgual displicenza auisati dell'esecrabile arditezza di chi sia andato ad aprir l'arca del famoso Petrarca, e con lo smembrare il suo corpo ne habbi tratta alcuna parte, contrauenendo empiamente alle leggi della pietà, e dell'humanità istessa, & per prezzo di denaro come può supporsi, vendendo quello, che non poteua hauer prezzo, e dispensando con baldanza inescusabile ciò che senza licenza del Prencipe, che à ragione gode che siano nello stato suo, e ui riposino l'ossa di homo cosi insigne, non poteua trouarsi, ne arderſi di separare per modo alcuno. Volemo però col Senato, che dobbiate formar diligentissimo processo

soura

ſoura il caſo di queſta temerità, e terminato che ſia, mandarſi il contenuto di eſſer ſotto voſtro giuramento per quelle riſoluzioni, che ſtimaremo bene di fare in occazione reputata da noi di gran momento per tutti i riſperti. Datum in noſtro Ducali Palatio Die XI Septembris Indict. XII. MDCXXX.

Hiſce perlectis Illuſtriſſimi Rectores die xv. Septembris eiuſdem anni factæ inquiſitionis ſummam Venetias perſcribũt. Qua intellecta, Senatus plenum exſecutionis Ius pro facti magnitudine ſequentibus literis concedit.

NICOLAVS CONTARENVS *Dei gratia Dux Venetiarum &c. Nobilibus, & Sapientibus Viris Vincentio Capello de ſuo mãdato Poteſtati, & Petro Sagredo Capitaneo Paduæ fidelibus dilectis ſalutem, & dilectionis affectum.*

Dalle voſtre lettere intendeſſimo gli eccеſſi della grande arditezza di quelli, che furono à romper il ſepulcro del Petrarca, & à cauarne dell' oſſa ſua con empia, e ſcelerata temerità Volemo però col Senato, che vſando l' auttorità di eſſo poſsiate ſubito veuir à ritẽtione, e proclama de Rei, e alla ſpidicion loro per modo che coreſpõda al delitto, dimoſtri à coteſta vitta il deſiderio che hauemo delle ſue giuſte ſodiſſaZioni e teſtifichi la ſtima, che ben à ragione facemo della memoria e delle ceneri di huomo coſi celebre, e degno. Datũ in noſtro Ducali Palatio Die XII. Octobris MDCXXX.

Rectores itaque auctoritate Sereniſs. Senatuſconſulti cum de reis prehendendis laborarſſent, abſentes formula ſequenti citant.

Edictum in illos qui aperuerunt Petrarchæ Sepulchrum.


De mandato Excellentiſs. Senatus, Illuſtriſs. D. D. Vincentius

tius Capellus Prætor, & Petrus Sagredus Præfectus pro Sereniss. Veneta Republica Paduæ, eiusq; districtus Rectores, delegati Iudices, vi Rescripti Ducalis XII Octobris traditi citant F. Thomam a Portu Romatino Annorum XXVII, proceræ staturæ, pilis puniceis, Baptistã Politum Arquadæ Decanum, Stephanum Fabrum, Zanetum Bonum, Franciscus Gallum Perinum, Francescum Politum, & Hieronymum Lupum omnes Arquadæ incolas, vt intra octiduũ proximũ sese Illustriss. D. D. Rectorum custodiæ sistant in sui defensionem, & excusationẽ à processu contra ipsos per Maleficiorũ officium facto, & in Prætorij Archiuũ auctoritate delegationis reposito: quòd iunctim omnes dicti F. Thomæ suasu, XXVII Maij proximè elapsi noctu in cœmeterium concedentes, inquo sepulcrum celeberrimi Poetæ Francisci Petrarchæ templi Cathedralis Canonici Ann. 1634. ossa reseruans, audaci temeritate è marmore densissimo exstructum effregerint; Ipse verò Thomas ex illo venerando corpore dextri brachij partem sacrilegè, illicitè, vt credere par est, Lucri causa subduxerit, id licẽtia inexcusabili distrahens, quod sine indultu Principis, (qui meritò gaudet in sua ditione Viri adeò insignis ossa quiescere) nullo modo tangi, aut separari potuit. Quod ipsorum facinus respectiuè studio, dolo, execrabili proteruia, impio in humanitatis Iura delicto, alijsq; modis indignis in processu notatis, commissum. &c. vt in processu.


Promulgato hoc Mandato quidam se Iudici sistunt. Interea Ser. Senatus decreto Rectore denuo monentur altero rescripto. Instituta itaq; diligenti in reos inquisitione, & cognita culpæ innocentia, nonnulli spectatores quippe imperiti, nullius facinoris complices è carceribus dimittuntur in reliquos hac sententia animaduersum.

Hanc

Petrarchæ Domus Arquadæ.



Ped. XXX



Ichnographia ejusdem.

cle diuino Vatis ſpiritu Domicilium , cuius exactiorem vniuerſæ ſtructurę ſpeciem perita M. Antonij Bonacorſi manu delineatam ab ea, quam cum Vico Arquada operis initio prȩmiſimus , cum Ichnographia numeris ſuis diſtincta hic ſubijcimus.

1 Porta eſt operis Etruſci, quod architectorũ vulgo Ruſticum, inſignita Armis Gentilitijs Nobiliũ Gabrieliorũ cum hac ſubſcriptione . HIERON. GABRIELIVS REST.

2 Atrium, in quo Triumphos ab eo decantatos expreſſit pictor. vnde per valuã ad Hortos & Colles aditus patet, ſupra quam hoc legitur Epigramma.

Impunè hinc Cererem ſumas, impune Lyæum,
Intactas habeat dum mea Laurus opes.

3 Meſaula.

4 Cubiculum viſionum.

5 Aula deſcriptis infra ſymbolis illuſtrata.

6 Podium ducens in Cubiculum , cuius Caminus inſculptis diuerſarum Nationũ nominibus variegatus nõ obſcurum præbet venerationis monumentum: quod loci Herus parietũ nitore cõtentus, adhuc ſuperſtes voluit.

7 Cubiculum perexiguum adiacens Muſeo.

8 Muſeolum peranguſtum , vbi ſuperſtes adhuc Pluteus cum ſcãno à tineis corroſus : cuius ianua Ariſtotelis Effigie inſignita, ei perſimilis , quam ex marmore antiquo artificiosè ſculptam videre contigit apud Ioannem Rhodium, cum hac inſcriptione ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ. Feneſtra hic vna ſpectat ad Septentrionem.

9 Podium , quod amœnitatis plenum amplum præbet proſpectum .

10 Cubiculum, quod lachrimas eius in obitu profuſas

exce-

excepit.vbi & rariſſimi artificij effigies Cleopatræ.
11 Subcubiculum ſiue receſſus.
12 Cella Vinaria ſubterranea & rei domeſticæ inſeruiens.
13 Culina.
14 Aditus ad Vinetum.
15 Equile.

Poſſeſſorem nacta hæc domus primo Domino dignũ Marcum Antonium Gabrieliũ Nobilem Patauinũ, qui literis & pictura vnicè delectatur, à ſuis maioribus traditam diligenti cura conſeruare, vetuſtateque collapſam reſtituere priſtino decori ſtudet; Aduenis hoſpes facilis, & Muſis amicus, vt Vatis noſtra monumenta commodè luſtrent. Eaq; certè Magnorum Virorum meruit præconia. Quos inter non infimi PETRARCHÆ cultores Laurentius Pignorius Canonicus Taruiſinus, & Marcus Antonius Romitus politiſſimas ſoluerunt Elegias.

In hac FRANCISCI PETRARCHÆ Domo verenda ſuperſunt vetuſtate magna cura à fundi hero religiosè conſeruata ex illius ſuburbana ſupellectili, POETÆ & LAVRÆ effigies in tabulis; SEDILE, ex quo tamquam è tripode carmina diuina cecinit Vates noſter, quoties poſt deambulationem dulciter quieſcebat, opificij ad eius ſeculi vſum non temnendi, cui ſimilem propè dono Marci Franſini in meo Muſeo videre eſt: ABACVS eiuſdem ferè operæ; & ſupra oſtium cubiculi apud Muſeolum in loculamẽto eſt MVRILEGA integrè ſeruata, quam Poeta in delicijs habuit. Cuncta ſeparatim exteris ſpectanda infra exhibemus. Te vero Lector humaniter rogatum


volo, vt si minutias afferre videbimur, id non mireris. Adijcimus enim rusticorum bellariorum aliquid. exiguo cibo plebis etiam adhibeatur idoneum stomacho temperamentum. Non omnes Apitij ac Paxani cupedines concoquunt. Quidam lupinis delectantur. Sedilis primũ, hinc Abaci, Murilegæ tandẽ pagellæ imaginem impegimus. Sed bene, inquies benè, potes gloriari scriptor, alter in Machęra Peleus; pyramidum Hieroglyphica nobis affers, ac miraculorum mundi septena nobis proponis spectãda. Vera obijcis. At paucis te volo: nonne Epicteti Lucernula, Diogenis Testa, quam habitabat, ipsa apud veteres magna veneratione habita. Ipsa etiam Martialis Catella festiuissima expressa penicillo apud eundem Poetam cernitur? Sed edico, mi Lector, non tibi eruditionis corculo hæc insinuo. Scribo illis, qui non tam emunctę naris sunt. Specta igitur Vatis Sedile, gemino infra Epigrãmate à Pignorio V.C. celebratum.

Hospes ades, tenuemque procax ne despice sellam,
Terpsichore qua vix aurea maius habet.
O quoties Vatum hac sedit Clarissimus olim,
Dum canit ad Thuscam carmina culta lyram?
Cum rigidæ ad numeros motare cacumina Quercus
Conspectæ, & rabiem ponere iussa fera est.
Phœbe pater, quid sellam axi superaddere cessas?
Dignior haud currus instruet vlla tuos.

Aliud.

Enthea Pierij nemoris si te allicit vmbra,
Excitat aut blandam Pegasis vnda sitim.
Inside, & hic domino dices agitante calesco
Nilq; moror Tripodas candide Phœbo tuos.

Huic



SELLA FRANCISCI PETRARCÆ

Huic subijcio ABACI typum, quem cum tertiùm perlustraret mecum Ioan. Rhodius, extemporaneum hoc profudit distichon.


Limpida seruaui mensis crystalla PETRARCHÆ.
Simplicitas æui quæ fuit, inde patet.

Nec prætereundos interea iudico versiculos, quos in eundem cum illuc proficisceretur, protulit miniquè tradidit Ioannes Argolus raræ eruditionis Iuuenis Tuscę, Latinæ, Greçæ, Linguæ peritus, magni iudicij Literarij, magnæ indolis poeticæ, magnæ spei.

Diogenis paruæ non concedentia testæ
Qui spectas veteris ligna vetusta domus;
Hic Abacus Vatis, cui debet Hetruria laurum,
Quem fama est tenui sæpe onerasse luto:
Vasa ministrabat facili Campania limo,
Ponebatq́ humiles creta dolata dapes:
Non hic Mentoreis insigne toreuma lacertis,
Diffusum in tabulis non rutilabat ebur.
Ornamentum Abaci virtus, conuiua tonantis
Qua sine non superum fulget honore Pelops.
Si nunc Diogenis, Pellæq́ rediret Alumnus,
Vtraq́ Pelleo cognita tecta forent,
Diceret, i Cynice, & quantum placet, vtere Phœbo,
Me melior modici liminis hospes habet.

Cui subnectimus Iconem Murilegæ delicij eiusdem Vatis cuius ea præsidio contra temporis iniuriã communita. Hæc varijs celebrata fuit encomijs. In quibus Poeta eximius Antonius Quærengus bina paris elegan-

tię




PETRARCHÆ
MVRILEGA.

Hanc ex publico Tabulario Patauino in gratiam exterorum Latino sermone subijcere visum est.

Die II. Ianuarij M DC XXXII.

Iudicium.

Quod suprascripti F. Thomas Martinellus de portu Romatino, Baptista Pulitus Decanus, et Stephanus Faber perpetuò Patauio exulent, & ab omnibus ciuitatibus, terris, & locis Serenissimi Dominij terrestribus, & maritimis, Nauilijs armatis, vel non armatis, & ab inclyta Vrbe Veneta, & Ducatu: & si quis neglecta proscriptione inciderit in nostram potestatem, F. Thomas per decennium integrum clauso carcere contineatur: vnde si aufugerint denuo exilio eodem mulctetur, & mille libris, si ipsi id æris; secus ex numis mulctæ consuetæ adscriptis Baptista, & Stephanus decennio vincti triremibus quisque mancipetur, & remigijs inepti biennium carcere claudantur, & postea subijciantur proscriptioni, tunc primum institutæ cum pœna quilibet mille librarum, vt superius. Idemq; quoties deliquerint violatione sepulchri insignis, & quouis alio excessu, vt in processu ex arbitrio, & in impensas. Io: Fraciscus Gallus, Perinus Bianco, Franciscus Liecherus, & Hieronimus Lupus valente ipsorum defensione è carceribus dimittantur.

Vincentius Capellus Prætor, & Iudex delegatus
Aloysius Vallaresius Præfectus, & Iudex delegatus

APPENDICVLA

Eorum, quæ ad vberiorem præsentis Historiæ cognitionem necessaria Auctor negotiorum varietate distractus omiserat, vel ei opere iam confecto typisque exscripto ab Amicis suggesta fuere.

Cap. I. p. 2. *Depositam addidit.* Iconum quidem harum diuersitatem nonnulli submonuerunt. Quæ etiamsi primo intuitu aliqua videtur; Si quis tamen posteriorem cum numismate à *Cap.* 24. nobis exhibito diligenter conferat, ea admodum erit exigua, & quæ Pictorum licentiæ ascribi poterit. Quin & huic non dissimilis est in vetustissima tabula apud Nobilis. Virum Hieronymum Gualdum Petrarchæ effigies scitè depicta cum hac subscriptione. FRANCISCVS PETRARCHA LAVREATVS.

Cap. I. p. 8. *Nominatus est passim.* Nomen sanè ex omine, propter singularem Poetæ isto sæculo eruditionem. PETRARCHA enim Arabibus est *Patriarcha*, quemadmodum me docuit Cl. Vir D. Ioannes VVeslingius Eques Hierosolymitanus, & Anatomiæ atq; Chirurgiæ in Patauino Gymnasio Professor eximius, qui in Aegypto Illustrissimorum D. D. Aloysij Cornelij & Ioan. Donati Consulum Venetorum quinquennium Medicus linguas variè excoluit.

Cap. VIII. pag. 44. *Poematum sensum astrueret.* Rinaldum Cursum pariter nonulla reliquisse in Petrarchę Poemata, patet ex Prefatione Hieronymi Ruscelli Edit. Venetæ 1554. typis Plinij Petrasantæ. 8.

Pag. 44. *Non pauca adnotauit.* Reperitut quoque in Bibliotheca Eminentissimi Cardinalis à Balneo MS. Philippi

lippi Villani, qui Cl. aliquot Virorum ſui ſeculi Vitas perſecutus *De Vita & Moribus Petrarchæ* peculiariter egit,quemadmodum mihi index Cl. Gabriel Naudęus, cui precioſæ huius ſupellectilis cura meritò credita. Nuper autem in Bibliotheca Vaticana Vol. n. 6165. inuentam Petrarchæ Vitam à Ludouico Beccadello Archiepiſcopo Raguſeo fusè deſcriptam, Menſe Martio Roma ad me perſcripſit Amicus ſingularis Leo Allatius qui erudito ſcribendi officio frequens ad nos excurrit.

Pag. 46. *Contulerunt.* Inter quos neutiquam prætereundus Celſus Cittadinus Senenſis Linguæ veteris Etruſcæ & Antiquitatũ egregiè peritus,olim magni Lipſij apud Fuluium Vrſinum condiſcipulus, qui Oden Petrarchæ B. Virgini dicatam inſigni commento illuſtratam euulgauit 1613. *typis Silueſtrij Marcheti.*

Cap. X. pag. 55. *Scriptoribus differre.* Triplici corona factum notat idem : Nẽpe Laurea,Hederacea, & Myrtina.

Cap. XV. pag. 103. *Naturæ decoris refertam.* Operæ vero fuerit,quæ pridem Vir Cl. Franciſcus Bernardinus Ferrarius ad me pro ſua humanitate prolixè perſcripſit, ad maiorem huius argumenti euidentiam,hic in pauca contrahere. Nimirum Mediolani in Bibliotheca Ambroſiana aſſeruari Virgilium MS. qui olim Fuluij Vrſini erat, antequam in Friderici Borromęi Cardinalis Archiepiſcopi poſſeſſionem veniret. Is Codicem hunc theſauri inſtar habebat, nec vlli (quamuis & id raro) oſtendebat niſi manibus proprijs,idque domi ſuæ. Cauſam reddidit ipſe, quod certus eſſet eum Petrarchæ fuiſſe,quem totus voluerat, ſua manu interpolauerat, me-

moriaque ditauerat, qua nulla ipsi fuerat dulcior, aut amarior. Defuncto Romæ Vrsino varij magni nominis Viri librum affectabant; Borromæus tamen siue auctoritate, siue suorum diligentia, siue pretij magnitudine reliquis hic præualuit, & librum semper inibi secum tenuit, donec Mediolanum reuersus in Bibliothecam Ambrosianam referret, hac cautela; clauibus custodirent, neque cuiuis pateret. Quod ex ore ipsius Cardinalis sepius audiuit Ferrarius, eique testes sunt luculentissimi Gratia Maria Gratijs tũc temporis Cardinali à secretis, nec non Antonius Olgiatus dictę Bibliothecę Prçfectus, vterque fide digniſsimus, variaque eruditione prçstantissimus. Codex ipse in folio membranaceo elegantissimè scriptus rubro inuolucro tegitur. Adiecta sunt Seruij Commẽtaria charactere satis extanti, Glossæ autem minori, præcipuè ad marginem hinc inde sparsę, interdũ ipsi textui insertæ. Asseri primo agglutinata est Petrarchæ Epistola scripta in papyro ordinaria: Primum mẽbranæ folium elegantissimis figuris penicillo Simonis Senensis exornatur, quæ Vniuersi Operis ideam referunt. Petrarchã vero eius fuisse possessorem, præter Fuluij Vrsini omnis Antiquitatis peritissimi auctoritatem, abundè mihi fidem facit Simonis Senensis artificiũ, qui Petrarchæ amicissimus olim Auinionem missus à Pandulpho Malatesta, vt Petrarchæ Effigiem in tabulam referret; Qui etiam Petrarchæ precibus cœlestem LAVRÆ Effigiem pinxerat, amictu viridi, flammula è pectore exiliente, cuius sæpius meminit Poeta. Glossas etiam esse de manu Petrarchæ, vel hinc liquet, quod diligenti comparatione facta cum Petrarchę literis, nihil

illis

illis similius deprehendisset Vrsinus. Cum igitur Epistola Petrarchę hactenus à multis adscripta Glossis tam sit similis literarum figura, quàm Ouum Ouo; Eam suo auctori asseruisse non indignum erit, donec firmioribus rationum momentis diuersum euicatur.

Cap. 23. p. 168. *Hæc ille.* Quæ vt planiora sint, id obiter monendum, Maiatas fuisse galeas, quarum pars erat loricata. lorica enim vulgo maglia, vt fit maiata quasi magliata: *Pignolatum* verò telam xylinā mulierculis adhuc familiarem, quam vulgo *bombasinā pignolatā* appellant: & Tunicam lineam etiam nunc in vicinis Rhodigio pagis Xoccham vocari.

Tantum volui in pręsentiarum, donec plura vel Amicorum benignitas, vel Lectio suppeditauerit.

FINIS.

INDEX RERVM, ET NOMINVM.

A

ABacus Petrarchæ. 142.
Ioannes Baptista Aguc-
chia. 135.
Talauandus Albanensis. 72.
Ægidius Albornatius. 136.
Alborum factio. 7.
Hier. Aleander. 22.82.
Ludouicus Alealmus. 115.
Ludouicus Alemanus. 114.
Nicolaus Alfinensis. 60.
Leonis Allatij laus. 2.35.45.
70.
Franciscus Alumnus. 46.
Bonifacius Amerbachius. 33.
Amici Petrarchæ. 67.68.
Amicitiæ studium. 64.
Scipio Ammiratus. 5.
Amoris Petrarchæ initium.
97.108.
Amoris vis. 98.
Amoris senilis tędium. 153.
Ioannes Anchisæus. 67.
Ancisa. 4.6.13.14.
Ioannes Andreas I.C. 15.
Andreas vates Mantuanus. 67.
Angelus Collutius. 40.
Anguillariæ Comites. 57.72.
Anna Imperatrix. 79.
Annulus Petr: donatus. 61.
Annulus Petr : Barbati imagi-
ne insignitus. 66.
Annulus a Petr: destinatus Io:
Dondo. 172.
Antiquitatis studium. 18.
Antonianus. 112.
Antonius Pius. 69.
Antonius Beccari de Ferra-
ria. 40.
Aphrodisæus. 69.
Apitij successores. 11.
Aquilæ nota. 149.
Aquitania. 71.
Archidiaconatu Petr : decora-
tus a Corrigiensibus. 62.
Archiuũ Regiæ siclæ Neapol.
77.78.
Leonardus Aretinus 40. eius
laus 44. Dialogi eiusdem
M.S. 26.
Ioann: Aretinus Petr: opera
colligit. 33.
Ioannes, & Fidericus Areti-
ni. 67.
Ioannis Argoli laus. 142.

Andreas, & Ioan: Argoli laudantur. 70.
Aristotelis vera effigies. 138.
Arnus Flumen. 14.
Iosephus Aromatarius laudatus. 48.
Lombardus Asericus 67. Petr: amicus arctissimus. 171.
Franciscus Asericus. 172.
Arquada. 7. 14. 63. 91. 129. 170.
Caroli Auantij præconium. 145.
Auctoris scopus. 1. Auctor diuersus a Ger. Vossio. 6. a Laurentio Pignorio. 130. sententiam murat. 31. Leptologiam excusat. 140. Poetę addictus in obscuris. 155.
Augusti æuum aureum. 69.
Auinio Pontificum sedes. 13. 14. 18. 70.
Auctores Petr: familiares. 22.

B

CArdinalis à Balneo. 26.
Barbatus Salmonensis Petr: gratissimus. 66.
Barisonorũ ornamenta. Albertinus, Ant. & Io. Franc. fratres. 172.
Gaspar Barthius. 25.
Bartholomęus Burchelatus. 118. 159
Bartholomęus de Ossa. 15.
Ioa: Bassilius. 67
Ludouicus Bauarus. 24.
Beccariorum Familia. 158.
Bergontia Familia. 126.
Bellarminus. 34.
Andreæ Belmisserij laus. 70.
Ascanius Belmisserius laudatus 20.
Petri Bembi laus. 40. 46.
Mantuæ Benauidij Meditationes M.S. in Petr: 46.
Bernardi Bembi testim. 35.
Petrus Bertius allegatus. 93.
Cardinalis Bessarion. 82.
Bibliotheca Petrarchæ. 5.
Bibliotheca Veneta. 2. 29. 25.
Bibliothecas clausas Petr: aperuit 25.
Bibliothecæ tres Petr: 84.
Bibliotheca Ducis a Rouere. 26.
Bibliotheca Challatij- 30.
Bibliotheca Canonicorum Regularium S. Ioa. in Viridario. 3. 44 45.
Bibliotheca D. Marci. 84. 85.
Bibliotheca S. Laurentij Florentiæ. 41.
Bibliotheca Ambrosiana. 41.
Bibliotheca Augustana. 42.
Bibliothecæ Patauinæ Auctoris.

ris. 45.
Bibliotehca Petr: Venetæ Reip. dono tradidit. 83.
Bibliotheca Iſpanica. 136.
Bibliotheca Petr: D. Marco donata. 83.
Bibliotheca Barbarina. 94.
Lelius Biſcia Cardinalis laudatus. 70.
Boccaccij ſtudium de operibus Petr: 27. pag. 3. de Affrica.
Boccaccij Apologia pro Petr: 51
Boccaccius Petr: percharus. 66. 172.
Ioan: a Boccheta: 164.
Franciſcus Bocchius. 167.
Thomas Bombaſius. 163.
Marcus Bonacorſus pictor. 138.
Ioan: Bonifacij laus: 159.
Carolus S. Bonifacij. 165.
Ioannes Franciſcus Bordinus. 94.
Borromeus Borromeus. 189.
Hieronymi & Dominici Boſchetti laus. 169.
Ioannes Bourdelotius laudatus. 18.
Breuiarium Petr: 164.
Ioſeph Briuius. 20.
Ioannes Breuius. 183.
Briuius tangitur. 172.
Hieronymi Briuij laus. 95.
Franciſcus de Broſano. 159.
Franciſcus Brunus. 65.
Ludouicus Buccatellus. 167.

C

BArlamus Calaber. 14.
Henr. Calderi chronologia Patauina M.S. 175.
Ioannes Calderinus. 15.
Camilla. 14.
Iulius Camillus. 114.
Benedicti Capelli vigilantia, 85.
Capitolium Lauræ dicatum. 54. 59.
Hyer. Cardani præconiura: 6.
Carolus VII. Imperator. 13.
ſua ætate litteræ Florent. 24. 26.
Carpentoras Ciuitas parua. 15.
Franciſcus Carrarienſis. 29.
Franciſcus Carrarienſis Petr: fautor. 166. 171. 173.
Iacobus Carrarienſis Petr: Canonicatum concedit. 62. eundem fouet 73. etiam Franc. 74.
Ioannes Caſa. 167.
Ludouicus Caſteluetrus. 45.
Ioannes Cauacius. 186.
Cecus quidam poetæ Pæruſinus.

nus. 80.
Cælius secund. Curio. 33.
Cella Ab. Ioachimi Venetijs. 85.
Laurentius Celsus Dux Venetus. 81.
Laura Cereta 118. eiusdem epist. MS. 16.
Cesenæ Ciuitatis destructio 41.
Chalasius 30.
Characterismus Improbitatis. 190.
Canities matura. 11.
Checco. 8.
Chelys Petr. 1.63
Chiabau. 105.
Chronicó VII. Ætatum Incerti, M.S. 158.
Cicero 16. Petr. charus. 21.
Claudiani locus adducitur. 11.
Clemens VI. 74. Petr. Canonicatum concedit. 75. Clem. VII. 62.
Codices in faxa, & puluerem mutati 85.
Ioa: Dominicus Cola 135.
Ioa: Columna Cardinalis. 17. 18. 70.
Iacobus Columna Epis. Lombariensis 18. 70
Pompei & Camilli Columnensium Encomia. 80.
Columnensium Ædes Petr: Laureatum excipiunt 55.
Ioan. & Iacob. Columnenses Petr. Mecœnates. 70.
Sthephanus pariter. 71.
Hieronymi Cardinalis Columnensis laus. 80.
Agapitus Columnensis. 71.
Sthephanus Columnensis. 71.
Petrus Contarenus Princeps Venetus. 44.
Simonis Contareni laus. 190.
Bernardinus Corius. 62.
Cranium Petr. comatum. 189.
Cygnus Poetę symbolum 153
Cynus pistoriensis IC. 15.

D

ANdreas Dandulus Dux Venetus eruditus. 81.
Bernardinus Danielus. 45.
Dantes, Petrarcha, & Boccacius eorum ferme tempore floruere 25. Vitas eorumdem a Mazonio descriptas. 45.
Hieronymus Dauid sculptor. 94. 132.
Candidus December. 158.
Deodatus. 41
Diploma Pontificium Petrarchæ manibus. 135.
Ottonellus Discaltius. 189.
Domus Petr. 3. 81. 95.
Donatus Apedinigena. 6. 67.
Io. Dondus Patau. 67. 101. Pe-

trarchæ charus. 172.
Gaſpar Dondus. 100.
Ludouicus Dulcius. 46.
Ioa. Durazzus 189.
Donum Petrarchæ factum. 61.

E

Ecclesiastici honores Petrarchæ. 75
Eccleſię motus. 127
Effigies Petrarchæ. 2. 73. 139. 169. 177.
Elogium. 4.
Equi aurei Venetijs. 85.
Error Philelphi. 8.
Exlium Petr: 7.
Claudius Expellius laudatur. 187.

F

Factio Alborum, & Nigrorum. 7.
Marinus Falerius. 8.
Flaccus laudatus. 69.
Felis Petr. 139. 144.
Franciſcus Bernardinus Ferrarius. 29. 41. 195.
Franciſcus de fiano. 186.
Florentiæ Reip. diſcordia. 7.
Amor in Petr. 63.
Florentinorum Apotheca. 185.
Franciſcus Floridus. 20.
Fons Petr. 133.
Fortuna Petr. varia. 3.
Franciſcus nepos. 160.
Franciſcæ Petr. vita & obitus. 159.
Nicolai Franci dicacitas punita. 49.
Franciſcus I. Galliæ Rex Petr. fautor. 74 112.
Marcus Franſinus. 139
Fridericus Marchio Mantuæ. 44.
Fructus Petr. grati. 11.

G

Marci Antonij Gabrielij encomium. 139.
Gabrieres. 105.
Hier. Gabrielius. 138.
Iacobi Gaddi laus. 41.
Iacobi Gaffarelli laus. 41. citatus idem. 44.
Galeacius Vicecomes Petr. cōſil. tit. inſigniuit. 62
Gallia 13. 18. Gallia Tranſalpina. 26. 41.
Galenus 69.
Alexandri Galli Epiſcopi laus. 40. 77.
Iacobi Galli I C. itidem. 77.
Thomæ de Garbo Iudicium. 9. 86.
Gaſpar Veronenſis. 86.
Gattari Chronicon M.S. 74

Lucæ

Lucę Gaurici laus. 6.
Genuenſes. 13.
Gerardus Petr. frater. 8.
Germania. 13.18.
Andreas Geſualdus 45. notatur. 28.
Gibellinorum factio. 1.
Golnizius laudatus. 110. 114.
Io. Gradenicus. 81.
Gratia Maria Gratij laudatus. 166.
Gregorius XI. 74.
Cardinalis Grimanus. 82.
Griſildis Hiſtoria. 30.
Nicolaus Gredius. 117.
Hieron. Gualdi laus. 169. 195
Ioſephus Gualdus. 181.
Guidonus de Gonzaga Mantuæ Dux Petr. Mecœnas. 73.
Guidus Archiep. 67.

H

ABraham Heiermans. 181
Homeri Patria Chios. 181.
Homerus Petr. charus. 21.
Honor Petr. exhibitus. 7. 62.
Horatius Petr. familiaris. 21.
Ioannes de Horologio. 67. 101, 172.
Hoſpitalitas Petr. 64.
Michael Hoſpitalius. 113,
Hugo Rex Cypri. 27. 56.

I

IConologia. 149.
Ieiunia Petr. 163.
Ildebrandinus Epiſc. Pata. 72.
Imperator Petr. fauet. 76.
Innocentia Petr. 22.
Innocentius VI. 74.
Ioachimi Abbatis cella. 85.
Ioanna Prima. 78.
Iordanus Vrſus. 57.
Paulus Iouius. 25. 56.
Italiæ priſca Frugalitas 168.

L

CVrij Lancellotti iudicium de Petr. excutitur. 48.
Iacobus Latomus. 97.
Laura. 12.
Lauræ ortus 105. Pœma 107. mors 110. Laura virgo. 110 Sepulcrum 110. epitaphium 111. viua effigies. 119. 159.
Laurea Corona templi tholo appenſa. 55.
Laurea Petr. oblata 53. accepta 54. Laurea Cæſaribus, & Poetis communis. 58.
Laurus. 149. 151.
Leonelli Regis Britanniæ filij nuptiæ. 62.
Franciſcus Leonius Abbas, & Canonicus. 185.
De Leui Familia. 122.

Rainaldus de Libero pago. 162.
Libertatis ſtudium. 12. 17.
Libri Petr. in æde D. Marci. 85. Canonicis Patauinis legati. 164.
Conradus Lycoſthenes. 33.
Linternum Vicus. 158.
Literarum Fautores. 69.
Fauſtus Longianus. 45.
Petrus Lotichius. 21.
Antonius de Luſchis. 186.
Iuſtus Lipſius. 195.

M

MAiatæ. 197.
Salmonius Macrinus. 126.
Magię Suſpicio propter Virgilij lectionem. 22.
Pandulpus Malateſta. 73.
Marci Manuæ in Petr. Annot. 46.
Manu Script. Petr. 35.
Philippus Maria Anglus. 44.
Ludouicus Marſilius. 67.
Papinius Maſſonus. 5. eius laus. 45.
Matris Petr. obitus. 16.
Fráciſcus Maurocenus D. Marci Procurator. 85.
De Medicis Petr. opinio. 50.
Laurentius Mediceus Petr. có. paratus à Mirandulano. 47.
Gerardus Mercator. 93.
Meſſala laudatus. 69.
Thomas Meſſanenſis. 67.
Olympius Meſſanenſis. 67.
Peregrinus Meſſanenſis. 67.
Metabus. 14.
Mythologię ortus, & vſus. 146.
Pici Mirandulan. de Petr ſententia expenditur. 47.
Molina domus. 81.
Dominici Molini laus. 70. 190.
Henricus Molinus. 81.
Andreas Molinus. 81.
Lucas Molinus. 81.
Franciſcus Molinus D. Marci Procurator. 85.
Monaſterium S. Sepulcri Venetijs. 81.
Gregorius Montagnana. 165.
Montis Peſſulani Gymnaſium. 15.
Montes Pyrenei. 71.
Monumentuum Petr. dubium. 102.
Muggollanum Caſæ prędium. 168.
Mutius taxatus. 48.

N

NIgrorum factio.
Ioannes Nani D. Marci Procurator. 85.

Ioan.

Ioan. Naucleri lapſus. 56.
Gabriel Naudęus citatur 26.
laudatus. 26. 41. & 195.
Numiſma Lauræ. 117.

O

OCuli Auguſti ſcintillantes 9.
Oeconomia Petr. 65.
Octius pictor inſignis. 171.
Antonius Olgiatus. 196.
Ioan: Olmutienſis Epiſc. 72.
Ioannes Ouenius 117.
Abrah. Ortelius. 93.
Felix Oſius. 100. 135.

P

PAdus Flumen. 14.
Bonauentura de Peraga. 178.
Parentius Petrarcha. 3. 7.
Pariſij. 18.
Parmæ ſeceſſus Petrarchæ. 127. 170.
Modius Parmenſis. 68.
Lancellotus Placentinus. 67.
Pauli Panſæ tabula. 184.
Patrenſis Archiepiſc. 82.
Ioan. Paſſeratius. 117.
Patauij eruditorum conſeſſus. 128.
Patauinæ Vrbis in Petr. cultus: 63.
Nicolaus Perẽzonus alias Riccius Marcheſianus. 45.
Philippus Patha. 29. 72.
Iuſtina Perotta 122. eius carmen ad Petr. 124.
Andreas Perottus 122. Nicolaus.
Torquati Perotti Epiſcopi laus 75. 122. 127.
Petrarchę cum Liuio comparatio 1. Petr. Canonicus *Pat.* 3. Petr. locus emendatur 5. Ortus 3. Parentes, Patria Indoles, Mores, Studium 9. 11 15. 20. libertatis Amor 12. educatio 17. *Patris* obitus & Matris 16. Peregrinatio 9. 17. 18. periculum ab aquis 14. Victus 11. Veſtitus 167. *Philoſophandi* libertas 17. Frater 9. filia 158. Scriptar 29. qui digeſta 33. liberalitas in egenos 171. obitus 172. funus 173. 174. *Petr. Priuilegium* 57. *Petr.* Mecœnates 71. 72. *Petr.* Elogia 179. *Pietas.* 163.
Phauorinus. 69.
Philelphi error, & laus. 44.
Pignolatum. 197.
Laurentius Pignorius 42. 112. 135. 168. eius Vita citatur. 31.

Plato

Plato. 21.
Philippus Portuus. 187.
Michiel Poſciantius 187. notatur. 31.
Ant. Poſſeuinus: 30.
Pontifices quibus Petr. innotuit. 70.
Poeta Peruſinus cæcus. 80.
Ptolomæus. 69.
Eques Caſſianus à Puteo laudatus. 2.
Ericius *Puteanus* laudatus. 187

Q

SArtoris Quadrimeni commentaria MS. in *Petr.* 45.
Antonij Quærengi Epigrammata. 142.
Flauij Quærengi præconium. 126.

R

RAnutius Dux Parmenſis. 126.
Rhodanus: 14.
Rhodigium. 197.
Io. Reinſt. 44. 181,
Richardi Richardi Comm. in Petr. 45.
Roberti Bellarmini laus. 34.
Robertus Rex Siciliæ *Petr. Patronus* 40. eius laudes. 60. 76.
M. Ant. Romitus .I.C. laudatus. 133.
Io. Bapt. Rota. 177.
Bernardus Ruthenenſis. 72.
Ioannis Rhodij mētio 41. Epigramma 108. 142. Aduerſaria *Philologica* MS. 42. Antiquar. 138. Bibliotheca. 168. Muſæum. 168.
Hieronymus Ruſcellus. 194.
Rufus- 69.

S

PHilippus Sabinenſis. 72.
Sacrum *Petr.* Anniuerſarium *Patauij* celebratur. 164.
Martinus Sandellius. 42. 135.
Iacobus Sadoletus . 167
Saxoferrati Caſtrum. 123.
Ber. Scardeonus. 132. 183.
Creſcentius Saccardus. 135.
Odoardus Santarellus. 121.
Sçuola Samarthanus. 100.
Seneca *Petr.* charus 21. Senecæ Vita. 31.
Scaligeri Veronæ Domini Petr. fautores. 79.
Iulij Scaligeri laus. 24.
Albertus Scaliger 44.
Schraderi Monumenta. 183.

Sedi-

Sedile Petr. 139.
Senatus Veneti encomium. 190.
Sensus animo infensi. 153.
Senucci Florentini error. 55.
Silua Plana. 90. 127.
Venafrus Siluanus. 4
Ioan. Bapt. Siluaticus IC. 169. 179.
Benedicti Siluatici dignitas singularis. 169.
Simeon Senensis pictor celebris 119. Petr. & Lauram pinxit. 196.
Simonides Petr. Amicus. 67.
Nicolaus Siozerus. 21.
Socrates Petr. charus. 67.
Solitudinis encomium. 89.
Solana lacus. 130.
Sorgiæ fons. 91
Hier. Squarciaficus. 6. 10. Vitæ Petr. script. 44.
Ioseph. Mariæ Suaresij laus. 5. 94. Carmina. 76. 119.
Fabricius Storni. 46.
Studium Petr. morale & sacrũ. 162.
Sepulcrum Petr. 135: 177. Violatum. 188.
Stylus Petrarchæ. 28.
Gabriel Simeon. 94. 111.
Scyphus Petr. 172.

T

TAlastandus Cardinal. 22.
Alexander Tassonus 45 excusatur. 48.
Testamentum Petrarchæ 164. 171.
Tela xylina. 193.
Antonius Tempus. 4. 44.
Theodosij tempora. 23.
Vgutio de Thienis 67.
Tibullus 25. laudatus. 69.
Paulus Tomasinus IC. 46: 135
Ioannes Trithemius. 186
Triumphi Poetici Petrarchæ. 146.
Turritæ Vrbes Italiæ. 169.

V

VAdianus. 25. 93.
Vallis Clausæ Topographia 88. descriptio. 91.
Petri della Valle Codex in Vatic. 40.
Valdezuccus Paulus. 177.
Valetudo Petr. dubia. 170.
Vasconia. 18 71
Vaticana Bibliotheca plura Petr. opera asseruat. 35. 195.
Alexander Vellutellus 6. Auinionem & Vallem Clausam bis lustrat. 15.
Andreę Vędrameni Musęũ. 181

Bene-

Beneintendius Venetus. 68.
Venetę Reip. affectus in Petr. 81.
Veneti Duces Petr. Mecœnates 81.
Veneti ludi. 82.
Gaſpar Veronenſis militiæ Præfectus. 73.
Galeacius Vicecomes. 10.
Galeacius & Lucchinus Vicecomites Mediol. 73.
Franc. Viduæ laus. 46. 119.
Vindiciæ Petrarchæ. 47.
Vincentij Speculum Hiſtoricũ. 178. adducitur. 93.
Bonzonellus de Vigontia. 171.
Villanus 5. Philippus Villanus. 195.
Violantis Nuptiæ. 62.
Viſiones Petrarchæ. 147.
Ludouici Viuis laus 20. L. V. citatur. 25.
Virgilius 16. Petr. charus 21. 101. M.S. Fuluij Vrſini. 195.
Fortunatus Vlmus Abbas laudatur. 85.
Gerardi Voſſij encomium. 6. 24. 34.
Fuluius Vrſinus. 195.
Vrbanus VIII. laudatus. 26.
Vrbanus V. 74.
Vrſus Anguillariæ Comes laudatus. 56.
Io. Veslingius Eques laudatus. 195.

X

XEnodochium à Petr. erectũ. 95. 164.
Xicchus Polentonus 8. 44. Vitæ Petr. Scriptor.
Xoccha. 197.

Z

Gabriel Zamoræus. 67.

FINIS.

Nos Andreas de Rubeis Rector Generalis, Nicolaus Brunus, & Hortensius Ottolinus, Visitatores Congregationis Canonicorum Sæcularium Sancti Georgij ab Alga Venetiarum, D. Iacobo Philippo Tomasino Collegij Patauini Theologo, Cœnobij D. Mariæ in Vantio Priori, concedimus licentiam diuulgandi librum, qui inscribitur PETRARCHA REDIVIVUS, *seruatis seruandis, & omni meliori modo, &c.*
Datũ in Cœnobio nostro D. Mariæ in Vãtio 12. Martij. 1630.

{ Locus Sigilli.

Marcus Antonius Pinellius à Secretis De Mandato.

1633. Die 30. Martij.

Ego Fr. Io: Paulus Sansonius Art. & Sac. Theologiæ Doct. & S. Inquisitionis Patauinæ Vic. & Commiss. Generalis, Librum Admodum Reuerendi Patris Iacobi Philippi Tomasini inscriptum, Franciscus Perrarcha Rediuiuus *vidi, & dignum prælo approbaui.*
In Quorum fidem, &c.

Fr. Io. Paulus Sansonius qui supra manu propria.

1633. a 30. Luglio.

Gli Eccellentiss. Sig. Refformatori dello Studio di Padoa veduta l'antescritta sottoscrittione del P. Vic. del Santo Officio di Padoa, & il sopra attestato di vno delli Consultori in Iure concedono licenza del presente libro che possi esser stampato, douendosi nel restante osseruare quanto è disposto in materia di stampe.

{ Simon Cõtarini Caualier Procurator Refformatore.
{ Girolamo Soranzo Procurator Refformatore.

Gerolimo Cauazza Secretario.

Errata sic Corrigantur.

Pag.	11	linea 25	indigna	indiga.
	24	3	enactam	enatam.
	31	6	Laura	Laurea..
	49	30	virgator	iurgator.
	57	7	Anno	Annus
	64	1	NECESSTVDO	NECESSITVDO
		2	XII.	XI.
	70	18	Excepit	accepit.
	75	25	Interregerimi	integerrimi
	91	8	tot.	toto
	97	19	Aethnea	AEthna.
	110	19	puaca	pauca.
	130	24	thernalis	thermalis.
	147	30	Phœbo	Phœbe.
	171	22	quæ mihi omico	quç mihi ab amico.
	191	19	vitta	Citta.
	192	6	Franciſcus	Franciſcum.
		26	Rectore	Rectores
	200	6	ſtudium	iudicium
		15	Carolus VII	Carolus IV.
	202	5	Florentiæ	Florentinç
	203	15	Gridius	Grudius. 116
	205	22	ſcriptor	Scripta.

Cætera quæ leuiora benigno Lectori emendanda relinquuntur.